INTRODV

HISTORICO-TH

IN

EPISTOLA

AD

PHILIPP

ADORNATA

ANTONII FRIDER

STADHAGA-SCHA

CVM PRAEF

D. SIGISM. IAC. B



HALAE MAGDE

Impenſis officinae librariae LÜDE

29

RODVCTIO

O-THEOLOGICA

IN

LAM PAVLI

AD

PPENSES

ATA STVDIO

DERICI BÜSCHING

-SCHAVMBVRGICI

RAEFATIONE

C. BAVMGARTEN



30.

MAGDEBVRGICAE

e LÜDERWALDIANAE, 1746.

VIRO

SVMME REVERENDO ATQVE MAGNIFICO

DOMINO

EBERHARDO DAVIDI HAVBERO,

SS. THEOLOGIAE DOCTORI LONGE CELEBERRIMO,

ECCLESIAE STADHAGENSIS PASTORI PRIMARIO VIGILANTISSIMO,

EIVSDEMQVE ATQVE TOTIVS COMITATVS SCHAVMBVRGENSIS SVPERINDENTENTI MERITISSIMO,

CONSISTORII CONSILIARIO GRAVISSIMO &c.

NEC NON

VIRO

PLVRIMVM REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO LVDOVICO EDLERO,

ECCLESIAE STADHAGENSIS PASTORI VIGILANTISSIMO MERITISSIMOQVE, COGNATO HONORATISSIMO,

FAVTORIBVS AC PRAECEPTORIBVS SVIS

DE SE IMMORTALITER MERITIS

Has ſtudiorum ſuorum academicorum primitias

DAT. DICAT. DEDICAT

AVTOR.

VIRI SVMME ET PLVRIMVM REVERENDI FAVTORES SVMMOPERE SVSPICIENDI.

Accipite quaeso! serena fronte hoc quod VOBIS dicat & offert cliens VESTER opusculum. Quod si VESTRA in me merita enarrarem, & spatium & vires me deficerent. Tanta vero sunt VESTRA beneficia, ut paria illis nunquam fecero. Erudivistis me per aliquot annos sponte & incredibili studio, omnibus fere doctrinis, quibus iuvenilis aetas impertiri debet. Inprimis autem aeterna animae meae salus curae VOBIS cordique fuit, qua in re Deo favente frustra VOS non desudasse & elaborasse, mecum gaudetis merito. Aditum mihi ad VOS ianuamque semper pate fecistis per quam benevole. Non gravati estis, si quacunque etiam in re esset, a VOBIS petivi consilium. Et quot reliqua sunt benevoli VESTRI animi documenta? quae laudibus efferre promeritis, angusti quibus circumscriptus sum cancelli, prohibent.

)(bent.

bent. Quod cum ita sit, ferreus essem & immemor beneficiorum acceptorum, si VOS non amarem, praecipue observarem, & quamlibet id testificandi occasionem captarem Et utinam hae plagulae dignae essent, quibus suspicienda VESTRA NOMINA inscriberentur. Quid vero illis deest id animus meus compensabit, quem promitto VOBIS & spondeo gratissimum atque devinctissimum. Deum vero optimum maximum oro & supplico, ut haec VOBIS beneficia longe effuseque remuneret. Faxit inprimis numen hocce quod colimus benignissimum, ut munus quo VOS multa fide, vigilantiaque ac diligentia perfungemini ecclesiasticum, cedat in magnam summi eius nominis gloriam, & multorum qui curae VESTRAE demandatae sunt, aeternam salutem. Valete, VIRI SVMME ET PLVRIMVM REVERENDI, FAVTORES summa observantia colendi, diu multumque pancratice & athletice, & si meruero, favete

NOMINVM VESTRORVM
SVSPICIENDORVM

Dabam Halae
d. 24. April.
1746.

cultori observantissimo
ANTONIO FRIDER. BVSCHING.



LECTORI BENEVOLO

SAL. PLVR. DIC.

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN.

Per difficilem habui deliberationem argumenti in hac praefatione diſputandi, quam ſcriptori amiciſſimo librarioque denegare non potui, quod vtrique auctor fui edendi hanc introductionem in epiſtolam PAVLLI ad *Philippenſes* diſputationi academicae antea deſtinatam ea ratione, qua nunc prodit. Neque enim laudibus ſcriptoris librique commendatione, quorum neuter indiget, lectores occupandos eſſe putaui gratiamque captandam, quae ſola lectione felicius conciliabitur quam ambitioſiſſima laudatione: neque actum agere & vtilitatem introductionum critico hiſtoricarum in libros diuinitus ſcriptos praedicare, aut artis regulas in illis conficiendis obſeruandas praecipere volui, quas nemo ignorabit aut hic exſpectabit; neque ſupplementa ſcribere acceſſionesque libri quibus facile carebit: neque tamen quidquam in chartam coniicere quod

vel ad rem plane non pertineat, vel legi nullius intersit. Quam ob rem subductis rationibus omnibus hanc consiliorum summam feci, vt ipsum PAVLLVM,[§] quo pluris mortalium neminem faciunt qui diuina intelligunt & recta sapiunt, a recentissimis criminationibus breuiter vindicatum irem, quibus a scriptore famosissimi libri publica supremi magistratus bataui auctoritate flammis combusti (1) nequissime impugnatus est turpiterque traductus. Licet enim omnino praestaret, aeterno silentio & obliuione perpetua aboleri indignissimas cauillationes, quibus doctrinam christianam librosque diuinitus in litteras relatos, atque inter illorum scriptores vnum omnium inprimis PAVLLVM adgressus est proteruus irrisor: nihilo tamen secius quum id taciturnitate & dissimulatione theologorum obtineri nequeat, planeque verendum sit, ne obtrectatio libri ipsa iustissimae animaduersionis seueritate celebritatem atque, vt sunt hominum animi, gratiam fauoremque consecuti latius grassetur in perniciem lectorum, qui vel cauillis sannisque delectantur, vel procacem impudentiam & confidentiae temeritatem a veri certique conscientia caussaeque fiducia minus distinguunt, vel leuissima rationum specie quantumuis deformi, ipsaque circulatoria rationis iactatione & fallaci bonae fidei ostentatione facile sibi imponi patiuntur, nisi circumscriptioni obuiam eatur, prouideaturque vt fraus & impostura, qualis est, cuiuis appareat;

(1) *Gallice* prodiit CIↃ IↃ CCXXXXV inscriptus *decouverte de la verité & le monde detrompé a l'egard de la philosophie & de la religion*; vel *la vraie religion demontrée par l'ecriture sainte, traduite de l'anglois de Gilbert Burnet. a Londres chez G. Cook*; vel *examen de la religion dont on cherche l'eclaircissement de bonne foy, attribué a Mr. de St. Evremond, a Trevoux, aux depens des Peres de la Societé de Iesus* in forma minore, quae XII singularum plagularum folia comprehendit, paginarum CXXXV.

reat; faciendum esse duxi vt hac opportunitate PAVLLVS duntaxat vindicetur, quod ampliorem reliquarum grauiorumque libri criminationum confutationem limites praefationis non admittunt, alibi opportunius expediendam.

Redeunt autem maleuolentissimae obtrectationes ad quinque potissimum impetus, insolentia animi impotentis memorabiles.

Atrocissima insimulatio adeo arrisit tantique visa est auctori, vt illam in exiguo breuique libello iterauerit locisque duobus proposuerit.

Vnus cap. III. §. II. pag. XXXIII, &c. occurrit, vbi haec leguntur „*libri scripturae non solum conscripti sunt ab hominibus diuersis temporibus; sed hi priuati etiam nunquam quoad vixerunt gloriati sunt spiritum sanctum ipsos egisse eaque dictasse quae scribere in mentem venerunt. Quid igitur? Quod imaginationi sancti* PAVLLI *alienatio accidet; quod ipse constituet de se conuertendo post mortem Iesu Christi, is qui se miraculis illius, quae ferebantur, non tradiderat; tandem quod animum induxit XIIII epistolas ad diuersos populos scribere longoque temporum progressu hae epistolae conseruatae fuerunt inter earundem partium homines, vt innumera scripta veterum alia: egone cogar ad hos libros pro sermone ipsiusmet dei habendos, stultusque videbor si nihil illorum credidero?* (2)

 Alter

(2) Ne sensum scriptoris mutasse videar, ipsa verba dabo: *les livres de l'ecriture ont été non seulement composés par des hommes en divers tems, mais ces particuliers ne se sont jamais vantés pendant leur vie, que le St. Esprit les eut inspirés, & leur eut dicté ce qu'ils avisoit d'ecrire. Quoi donc? parce qu'il se fera un renversement dans l'imagination de St. Paul: parce qu'il s'avisera de se convertir, apres la mort de Iesus Christ, lui qui ne s'etoit point rendu a ses pretendus miracles: enfin parce qu'il s'est avisé d'ecrire XIV epitres a divers peuples; que dans la suite des siecles ces epitres se seront conservées parmi ceux d'un meme parti, comme une infinité d'autres livres des anciens, on m'obligera de reconnoitre ces livres comme la parole de Dieu meme, & je passerai pour fou si je n'en crois rien.*

Alter cap. V. §. IIII. p. XII. exstat ita conceptus „*nihil sane est ad quod imaginatio ebulliens non feratur. Venefici vere cogi ad Sabbatum sibi videntur.* S. PAVLVS *casu de equo praeceps deiectus, videbatur sibi vocem* IESV CHRISTI *audire rationes requirentis odii, quo discipulos suos insectaretur. Effecit formido vt ea audiret quae vere non audiebantur, euasitque ex insectatore Apostolus, & euangelium bona fide forte praedicauit. Efferuescens imaginatio ipsi postea imposuit vt sibi in tertium coelum raptus videretur. Quidquod imaginatur ab ipso* IESV CHRISTO *coram se instructum esse, quod inter partium suarum homines iactabat, qui ipsum suscipiciebant vt vnum ex antesignanis praecipuis. Atque adeo is qui viuo* IESV CHRISTO *nunquam cogitauerat de examinando vel vnico miraculo ex illis quae ferebantur, subito conuersus est per casum ex equo, in prodigium transformaturus ignominiosam equitandi imperitiam.* (3)

Satis fateor ridicule & insipienter in re seria iocatur inficetus conuitiator, risus studiosior quam rationum, quem tamen ipse pararet felicius quam excitaret, si iustus dolor & indignatio ridere posset. Missa igitur illepida nugarum dicacitate, accusationes disquiramus quibus lacessitur

PAVLI

(3) Quae gallice ita leguntur *il n'y a rien dont l'imagination echauffée ne soit capable. Les sorciens croyent aller veritablement au Sabat. St. Paul renversé par hazard de son cheval crut oüir la voix de Iesus Christ, qui lui demandoit raison de la persecution qu'il faisois a ses disciples. La peur lui fit entendre ce qu'il n'entendoit pas, & de persecuteur il devint apotre, & precha peut etre l' euangile de bonne foi. Son imagination echaufée lui fit croire dans la suite qu'il étoit élevé au 3 ciel: il se flatte meme que Iesus Christ en personne l'a instruit, il s'en vautoit parmi ceux de son parti, qui le regardoient comme un des principaux chefs. Ainsi celui qui pendant la vie de Iesus Christ n'avoit jamais eu la curiosité d'approfondir un seul de ses pretandus miracles, est tout d'un coup converti par sa chute: il change en prodige la honte d'etre mauvais ecuyer.*

PAVLI exiſtimatio. Recidunt illae ad duo maxime capita, ſeorſim examinanda.

Prima inſimulatio, quam illiberalis cauillator PAVLO intendit, modeſtiae cauſſa vt videri vult, & ad bonam ipſius fidem tuendam, ſi aperte profertur mentis alienatione abſoluitur rationisque iactura ab imaginatione vehementiſſimo metu emota peſſundatae & conturbatae. Cuius probandae quatuor rationes afferuntur conuellendae priusquam contrarium efficiatur.

Poſt locum communem, de incredibili imaginationis vi, cuius veritatem nemo vnquam in dubium vocauit, ipſeque ſcriptor ſuo exemplo quod illico apparebit, egregie confirmauit, conuerſionem PAVLI commemorat, in qua duplex ſententiae ſuae praeſidium deprehendere ſibi videtur.

Vnum deſumitur a lapſu ex equo, qui tanta formidine, terrorisque vehementia animum omnino percellere & conturbare poſſit, vt quae vere non audiuntur audire tamen ſibi videatur aliquis, atque efficere, vt accedente poſtea pudore facilius & pertinacius imaginationis error prodigii vices ſuſtineat.

In qua argumentatione ipſum ratiocinium non ſollicitabo, quo ab eo quod fieri poteſt ad id concluditur quod actu fit; ſed aſſumtiones inueſtigabo, quibus nihil excogitari poteſt falſius. Vbi alterutrum neceſſe eſt, vt ſcriptor vel a bona fide plane derelictus fuerit, quod tamen ſummis conteſtationibus per integrum libellum repetitis pernegauit, vel imaginationis aeſtu abreptus, ea legere in hiſtoria conuerſionis PAVLI ſibi viſus ſit, quae a nemine leguntur, atque res geſtas aliter longe imaginatus quam acciderunt & memoriae traditae fuerunt, ſeu vigilans & ſcribens ſomniauerit, atque hominem egerit febri ſaltem correptum, niſi mentis plane non compotem, ſenſusque & memoriae penitus expertem. Equitationis

tationis enim *paullinae*, cuius tot nobis tantosque euentus inauditos aeque ac inexplicabiles enarrat, non ſolum nulla mentio, quid quod ne vel leuiſſimum veſtigium ad coniecturam faciendam hariolandumque apparet apud LVCAM, verum etiam non obſcura facti negatio infitiatioque cuiuis occurret, qui ſcripta, vt oculis obuerſantur, legere norit atque adeo ſenſibus vti (4). Quidquid igitur circulator hic de equitatione PAVLLI fabulatur, illud omne vel ipſe ſibi commentus eſt animi cauſſa & mala fide foede ementitus, vel incredibili imaginationis in furorem actae effrenatione coram vidiſſe ſibi viſus eſt quod certe in laruarum & inſomniorum regione per mentis raptum fieri debuit. Quae libido viſa formandi in ſcriptore inter diſputandum & meditandum nullo formidinis terrorisque impetu regente perculſo, nihil habet quo excuſari & a facta inſanae mentis ſuſpicione liberari poſſit.

Alterum euerſae mentis PAVLLI argumentum, quod ex conuerſione ipſius petitur, tantique fit ab inepto ſcriptore vt bis commemoretur, dupliciter falſum eſt. Quum enim exiſtimat tranſitum PAVLLI ad partes CHRISTI poſt ipſius mortem, cuius viui miracula contemtim habuerat nihilique fecerat, ſine rationis euerſione concipi & explicari non poſſe, tantum

(4) Bis narratur haec hiſtoria ACT. VIIII. com. I. & cap. XXII. com V &c. vtrobique autem *Paullus* a comitibus *χειραγωγούμενος manu ductus* dicitur, quod in equitem non cadit etiamſi vim vocis *πορευεσθαι* non vrgeamus, quae ACT. XXVI. com. XII &c. etiam occurrit, vbi tertium commemoratur res vti geſta eſt, ſimulque additur ipſos comites PAVLLI humum proſtratos fuiſſe, quos igitur ſine prodigio fingamus ob equitandi imperitiam ſimul de equis decidiſſe: vt ad inſulſos pictorum errores referendum omnino ſit, quod in tabulis imaginibusque nonnunquam vel PAVLLVS ſolus vel vna cum comitibus equo impoſitus deprehenditur; cuiusmodi auctores in diſputando ſequi velle idem certe eſſet ac imaginationi ineptiſſimae emancipari cum ratione.

tantum abest a consecutionis necessariae vel leuissima specie, vt nemini sit persuasurus desultorii argumenti veritatem. Innumeris certe exemplis constat, fieri posse, vt aliquis quae praesentia & ob oculos posita vel errore falsisque opinionibus praeconceptis fascinatus, vel animi leuitate & inexcusabili neglectione diu satis contempserit, absentia deinde, post reditum in gratiam cum ratione, magni faciat animoque complectatur. Quam ob rem etiamsi dubio careret PAVLLVM IESVM dum in terris ageret cognitum habuisse, contemtuque prosecutum fuisse ipsius miracula, nihil certe dedecoris ex eo ipsi verendum esset, quod rectiora monitus ad frugem redierit, & postquam resipuerit, animum mutauerit, quod sine leuitatis suscipione fieri potuit, neque incogitanter factum est aut sine deliberatione & examine, quod mentis *subito*, hoc est sine ratione conuersae commemoratio innuere videtur, sed consideratissime post aliquot dierum deliberationem, annorumque integrorum praeparationem ante quam apostolus constitueretur. Verum ne hac quidem defensione opus est: omnis enim illa examinis miraculorum CRISTI viui neglectio ad ea pertinet, quae scriptor vel pruritu fingendi abreptus, vel imaginationis ebullitione motus comminiscitur. Nullo certe auctore consuetudinis PAVLLI cum IESV inter mortales conspicuo, aut commorationis in *Palaestina* eodem tempore, fabulatori in mentem venire potuit, quem post mortem IESV demum *Palaestinam* adiisse, CHRISTVMque ante apparitionem nunquam vidisse facile intellexisset, si res olim gestas legere & audire quam excogitare & effingere maluisset. (5)

)()(Pro-

(5) Quum IESVS primum PAVLLO se conspiciendum daret in apparitione iuxta *Damascum*, ex ignoratione & interrogatione ipsius ACT. VIIII *com.* V, *cap.* XXII *com.* VIII & *cap.* XXVI *com.* XV indubium est, eundem nunquam ab ipso antea visum fuisse. Praeterea fieri sane non potuisset, vt PAVLLVS tempore vitae mortisque IESV *Hierosolymis* commo-

Proxima ratio ad demonſtrandum PAVLLVM mente captum fuiſſe & exaeſtuanti imaginationi emancipatum, deſumitur a raptu ipſius in coelum, quem hominis maledicentia non ſecus excitat, ac ſi ſola mentio ſufficeret ad imbecillitatis & amentiae ſuſpicionem atque impoſturae inuoluntariae fidem faciendam. Qua in re quantopere fallatur rectius intelligi nequit, quam ex ipſa narratione PAVLLI 2 COR. XII com. I ad V obuia & ita comparata, vt non obſcura aut ambigua ſummae modeſtiae, qualis in dementem non cadit, indicia, indubiaque iudicii & rationis documenta, ab imaginationis laborantis immoderatione remotiſſima exhibeat, atque ſatis ſignificet, neque de itinere trans ſolem ſtellasque ſermonem eſſe, neque de eorum quae perceperat intuitusque fuerat imaginibus & ſignis quibus ſe plane deſtitui, ingenue fatetur. Quae ſi contenduntur vel cum MVHAMMEDIS itinere nocturno, vel cum viſionibus eorum qui imaginationis aeſtu extra ſe rapti, ſine narrationibus viſisque ad ſe nunquam redeunt, ſatis comprobant PAVLLVM de ſe haec perhibentem (6) vel circumſcriptoris, vel hominis deliri rationisque deli-

ratus ab eius inſectatione abſtinuerit, nullasque in communi conſpiratione contra ipſum partes habuerit, aut ſi quas habuiſſet, nullam illarum mentionem fecerit, quoties ingenue praeuaricationes priſtinas confeſſus eſt & cum dolore conqueſtus. Accedit quod ACT. VII. *com.* VII. iuuenis dicitur, atque adeo tempore mortis STEPHANI in flore ſaltem ineuntis aetatis virilis conſtitutus fuit, opificium autem ACT. XVIIII. *com.* III. *cap.* XX. *com.* XXXIIII. aeque ac litteras *graecas*, quas plane non ignorauit ACT. XVII. *com.* XVIII, 1 COR. XV. *com.* XXXIII & TIT. I. *com.* XII. in patria domi didicerat, vbi teſte STRABONE ſcientiae & bonae artes florebant, vnde conficitur, vnius alteriusue anni diſciplinam ſufficere ad doctrinam GAMALIELIS in qua formatum ſe inutritumque profitebatur ACT. XXII. *com.* III.

(6) Licet non defuerint, qui vel recentiſſime hanc ecſtaſin de alio quam PAVLLO ipſo narrari exiſtimauerint: nihil tamen proferunt quo improbabilem opinionem a contradictione liberent, cuius ipſius PAVLVM

deliquium paſſi, ſuſpicionem incurrere poſſe apud neminem niſi qui omnem imaginationis humanae vſum Deo indignum iudicare, atque adeo hominem aeque ac DEVM ignorare vellet, aut ſomniare tertium coelum adiri non poſſe ſine profectione vltra ſtellarum regiones.

Tertia ratio emotae apud PAVLLVM mentis in doctrina collocatur, quam ab ipſo CHRISTO coram traditam accepiſſe profitetur, ſed praeter inſignem obtrectatoris arrogantiam & inexcuſabile ſupercilium in homine ſane mentis non ferendum, admodum nihil probat. Aut enim lectores ſuos adeo deſipere exiſtimat, vt nullo examine inſtituto ſine vlla rationis ſpecie apparitiones CHRISTI PAVLLIque inſtitutionem ab eodem ad ea referant, quae ſine dementia cogitari nequeunt, aut ſibi id tribuit vt ſola ſententiae a ſe pronunciatae auctoritate ſtandum, PAVLLIque teſtimonium reiiciendum arbitretur. Quod ſi ad confutandum demonſtrandumque ſufficeret; quo quis inſolentius ſtolidiusque ſuperbiret, eo certe melior diſputator reputandus eſſet longiſſimas controuerſias de ſella & tribunali, vel ſi mauis ex tripode diremturus. Vt non commemorem falſum non minus quam maleuolum eſſe, quod PAVLVM inter homines partium ſuarum hanc CHRISTI praeſentis inſtitutionem iactaſſe perhibet criminator vel quauiter imprudens, vel immemor & ignarus ſermonum PAVLLI ACT. XXII & XXVI a LVCA in litteras relatorum, quibus in corona hominum a partibus ſuis alieniſſimorum, apparitionis CHRISTI non vnius publicam & copioſam mentionem fecit. (7)

)( )(2 Vlti-

reum faciunt qui in conſequentibus aperte ſatis de ſe ipſo loquitur, & diſerte affiictiones ſuas vocat, quibus cautum fuit ne efferetur ſingulari huiusmodi beneficio.

(7) Referunt nonnulli interpretes hanc inſtitutionem PAVLI ab ipſo

Vltimum denique insimulationis huius argumentum in consilio ponitur litteras XIIII scribendi ad diuersos populos. Quod ad alia quidem simul spectat; satis aperte tamen, si quid video, vanitatem & amentiam hominis importune scripturientis lectoribus instillare debet ac insinuare suspicionem consilii vel eiusdem plane vel dissimilis parum quod cepit MVHAMMEDES, epistolarum ad diuersas gentes remotissimas & magistratus DEI iussu scribendarum, quodque alii bene multi rencetius imitati sunt, qui personam hominum diuinitus extra ordinem legatorum acturi, litteras publicas ad nationes diuersas dederunt. Cuius rei falsitas insignis, nemini obscura erit qui cogitauerit, esse inter quatuordecim PAVLLI epistolas quatuor ad homines familiares scriptas, TIMOTHEVM, TITVM, & PHILEMONEM; reliquas decem non ad integras nationes populosque legibus, lingua, sacris, imperio distinctos, sed ad octo coetus diuersos ciuitatis sacrae, cuius doctor publicus constitutus fuerat, nullam vero illarum sine singulari occasione dataque opportunitate exaratam fuisse, eadem lingua his coetibus familiari, qui ex hominibus duarum tantum nationum vnius tamen imperii coaluerant. Parum certe memor fuit conuitiator calumniae huius, dum in exagitanda apparitione CHRISTI, ea, quae PAVLLVS in his epistolis scripserat apud homines partium suarum iactasse criminatur, quibus igitur si ipsum audiremus eo iam tempore diuersi populi addicti fuissent.

Dissipatis

CHRISTO GAL. I *com.* XII & I COR. XI *com.* XXIII commemoratam, ad exstasin raptumque in tertium coelum: quod tamen ob II COR. XII *com.* IIII vero dissimile est, apparitiones saltem CHRISTI non excludit; quae ipsi plures obtigerunt, & in quibus, vt ex comparatione ACT. XXII & XXVI cum *cap.* VIIII apparet, longiores sermones habiti fuerunt quam recitantur quoties illarum mentio fit.

Diſſipatis profligatisque his verborum praeſtigiis atque offuciis, quibus inſignis praeuaricator hanc accuſationem lectoribus impoſitum iuit, ſuperſedere poſſem ampliore defenſione PAVLLI; quum mentis compos quiuis iure cenſeatur donec probetur contrarium: operae tamen pretium facturus mihi videor, ſi breuiter expoſuero potiſſimas rationes, quibus efficiatur vt neque in conuerſionem PAVLLI neque reliquam ipſius vitam, mentis emotae & alienatae ſuſpicio cadere poſſit. In ipſa conuerſionis hiſtoria haec memoranda maxime videntur, habuiſſe PAVLLVM comites aliquot nulla certe fauoris propenſione CHRISTI cupidos, qui non ſolum ſplendorem diuinitus immiſſum conſpexerunt ACT. XXII *com.* VIIII, ipſique humum proſtrati fuerunt *com.* XIIII; verum etiam ſermonem loquentis cuiusdam ipſis tamen non viſi audiuerunt, quamuis ipſa verba diſtincte non perciperent *cap.* VIIII, *com.* VII *cap.* XXII, *com.* VIIII. Quos ſi quis ſola imaginationis apud PAVLLVM commotae efficacia nulla ſenſuum ope & ſine rationis conſcientia vidiſſe audiuiſſe humumque procubuiſſe exiſtimare poteſt, quod ſanus quisque cum ratione a ſe nunquam impetrabit, nae illum inſigniter deſipere oportet. Quae hanc conuerſionem proxime exceperunt ita comparata ſunt, vt hominem circumſpectum, prudentem, futurorum prouidum, modeſtum & ſecum habitantem euidentiſſime indicent. In *Arabiam* conceſſit ibique triennium delituit, atque *Damaſcum* redux inſidias vitae ſtructas caute effugit, *Hieroſolymas* demum profectus BARNABA parario apoſtolorum nonnullis innotuit, atque de conſpiratione hoſtium vitaeque diſcrimine monitus *Tarſum* proficiſcitur, neque patriam relinquit niſi a BARNABA euocatus & *Antiochiam* abductus, vbi diuino iuſſu prophetarum miniſterio publicus rei ſacrae doctor in-

 augu-

auguratur. Quae ſi in hominem fanaticum mentisque euerſionem recens paſſum quadrarent, eiuranda eſſet ratio quantocius cuiuis ſapientiae cupido.

Ex reliqua vita ea duntaxat afferam, quae ab obtrectatore quocum nobis res eſt, commemorantur. Tantum ipſi delatum eſt ab hominibus ſectae ſuae numeroſiſſimae diuerſosque populos iam complexae, vt ex ante ſignanis vnus praecipuus haberetur. Litteras ipſius etiamſi priuatas atque ad peculiares populos datas, in tanta innumerorum librorum illius temporis iactura & interitu ſollicite conſeruauit poſteritas vt XIIII aetatem tulerint atque ad nos peruenerint. Ea fuit modeſtia, vt ab hominum fanaticorum indole, qui vbiuis afflatum diuinum crepant, plane abhorruerit, & de inſpiratione nusquam iactanter ſit gloriatus. Praeter haec quae hoſti merito creduntur: ipſa illius ſcripta innumeris documentis ratiociniorum perſuaſionumque ſcatent, quae ſi ab inepto ſcriptore mentis emotae proficiſcuntur, ſecure admodum ratione & ſana mente carebunt in poſterum, qui de lectoribus conuincendis flectendisque feliciter laborant, hominibusque prudentiſſimis ſua approbatum eunt; vt de incredibili facultate nihil adiiciam conciliandi ſibi homines cuiusuis dignitatis conditionis & indolis inter magiſtratus etiam, qui furoribus aeque circumueniuntur, & in ipſo CAESARIS praetorio.

Mirandum igitur omnino eſt, potuiſſe cauillatorem ſe amare in obtrectatione adeo veri diſſimili, atque ſi vel maxime calumniandum fuiſſet, aut aliam criminationem probabiliorem huic non praetuliſſe, aut hanc ipſam non artificioſius inſtruxiſſe, ſpecioſiusque ornaſſe, & grauiſſimam inprimis PART. FESTI auctoritatem praeteriiſſe ACT. XXVI *com.* XXIIII, quod arte neque intelligentia veri ſenſus ſermonis

monis illius, honorifici ſane, ipſaque eorum quae conſecuta ſunt commemoratione ſatis vindicati, neque modeſta aequitate factum eſt, ſed ignoratione geſtorum PAVLLI atque eorum quae litteris diuinis continentur.

Progredior nunc ad alterum caput accuſationis qua non ipſi PAVLLO magis quam ſectatoribus ipſius dies dicitur, qui maioris fere dementiae rei aguntur quam cuius PAVLLVM inſimulauerat. Latius quidem patet haec obtrectatio, & ad librorum diuinitus in litteras relatorum ſcriptores in vniuerſum omnes ſpectat, quos ſine inſigni amentia pro diuinitus legatis & inſpiratis haberi non poſſe exiſtimat: quum tamen vnum illorum PAVLLVM duntaxat exempli cauſſa adducit, & capitali criminatione praetendit, hunc potiſſimum vlciscemur, quod reliquorum ſimul cauſſam communem iuuabit.

Vt igitur actionis rationes audiantur, ſollicite conquiremus omnia quae actor ſeu accuſator potius nequiſſimus propoſuit in rem cauſſae ſuae. Ita nimirum exiſtimat, libros, qui in populo CHRISTI pro diuinitus ſcriptis habentur, I) diuerſis temporibus conſignatos fuiſſe; II) ab hominibus priuatis; III) qui per omnem vitam afflatum ſpiritus ſancti & eorum, quae ſcriberent, inſpirationem nunquam profeſſi ſunt, aut immunitatem aberrandi periculo prae ſe tulerunt; IIII) ſed opera ſua ſingularibus hominibus populisque inſcripſerunt; atque V) vt ſcripta ordinaria poſt ſe reliquerunt; factum deinde fuiſſe vt VI) conſeruarentur hi libri inter homines harum partium eadem ratione, qua innumera veterum ſcripta aetatem tulerunt; & VII) temporum progreſſu ob penariam librorum atque auctoritatis indigentiam diuinitate donarentur ex hominum arbitrio; eadem temeritate VIII) qua poſt quadringentos circiter annos a morte

IESV

IESV CHRISTI elapsos, concilii *nicaeni* auctoritate idem deus pronuntiatus est, licet neque ipse eum se cuiquam venditauerit vnquam, neque vllum diuinitatis suae aduentusque ex coelo monumentum aut vestigium reliquerit.

Vt impudentissimae calumniae ipsis cauillatoris verbis legantur, dabo duo loca criminosissimi libri, quae praeter supra excitatum flagitii fidem facient: cap. III §. V. p. XXXVI haec scribuntur *scriptores librorum sacrorum scripta sua nunquam prodiderunt infallibilia; quod si voluissent, opus fuisset demonstratione legationis suae & inspirationis a spiritu sancto factae, tantum potius abfuerunt ab eiusmodi quid praetexendo, vt nobis libros suos reliquerint tanquam libros ordinarios, immo etiam tanquam opera ad certos vel populos vel homines scripta. Penuria tandem librorum, necessitas auctoritatis, rationes denique humanae diuinitatem ipsis dederunt* (8). Alter locus cap. IIII §. III p. XXXXVI &c. haec habet IESV CHRISTO *vt homini summopere necesse fuisset edicere se Deum esse, alioqui homines circumuenit per integram vitam & triginta inprimis annos integros, quos in silentio transegit, & ipse solus in culpa fuit sacrilegiorum omnium, quae neglectione honorum diuinitati ipsius debitorum contemptuque ipsius committebantur. Quid igitur? DEVS in terram descendit, & nihil quidquam peragit; hominem tamen se reddiderat ad aliquid peragendum, & nihilo secius hominibus nullum monumentum aduentus sui, nullos libros nullum, vestigium reliquit. Num igi-*

(8) Gallica verba haec sunt *les auteurs des livres sacrés n'ont point donné leurs ouvrages comme infaillibles; en tout cas ils auroient toujours été obligés de justifier leur mission & que c'etoit le St. Esprit, qui les inspiroit, mais bien loin d'avoir cette pretention, ils nous ont laissé leurs livres comme des livres ordinaires & meme comme des ouvrages qu'ils ecrivoient ou a certains peuples, ou a certains particuliers. La disette des livres, le besoin d'autorité, enfin un motif humain les a divinisés.*

igitur quorundam hominum praeiudicio ſtabo, qui ipſum non niſi poſt quadringentos circiter annos a morte ipſius diuinitate donarunt DEVMque declararunt in concilio nicaeno anno CCCXXV (9).

Per partes ituri ſingula iam examinabimns ſed breuiter & ſummatim, quod ad alia properandum eſt, Neque longa & operoſa confutatione indigebunt, quae a quouis facile perſpiciuntur vel neruis deſtitui, vel eos non ferire qui petuntur, vel mendacisſime falſa eſſe, vel commode inuerti poſſe ad ea confirmanda quae impugnantur.

Poſtremum hoc in prima accuſationis parte inſulſo ſcriptori accidit: vbi ea culpat librisque diuinis vitio vertit atque vt fraudis ſuſpecta exagitat, quae ad doli ac circumuentionis ſuſpicionem arcendam amoliendamque indubie comparata ſunt. Male ſine dubio habuit obtrectatorem libros diuinos neque ab vno ſcriptore profectos eſſe, neque a pluribus eiusdem temporis & loci, neque ſingulorum ſcriptorum ſingulos tantum exſtare libros, ſed plures quorundam diuerſis temporibus exaratos: longe enim tunc ſpecioſius ac veriſimilius traduci potuiſſent, quod ipſi conſtitutum fuerat, atque in ſuſpicionem impoſturae vel erroris ſaltem adduci. Facilius certe oracula cuduntur ab vno auctore ſiue impo-

)()(ſtore

(9) Quae *gallice* ſic leguntur *IESVS CHRIST comme homme etoit indiſpenſablement obligé de dire qu'il etoit Dieu, autrement il a trompé les hommes pendant ſa vie, & ſur tout pendant 30 ans qu'il eſt demeuré dans le ſilence, & il etoit coupable ſeul de tous les ſacrileges qu'on faiſoit en ne lui rendant aucun des devoirs dus a la divinité, & en le mepriſant quelques fois. Quoi donc! Dieu vient ſur la terre & il n'y fait rien, il s'etoit pourtant fait homme pour y faire quelque choſe, il n'a laiſſé aux hommes aucun monument de ſa venuë, aucuns livres, aucune trace. Dois je m'en rapporter a quelques perſonnes prevenuës, qui ne l'ont diuiniſé & declaré Dieu qu'environ 400 ans apres ſa mort dans le concile de Nicée, dans l'an 325.*

ſtore diuinitus mandata mentito, ſiue fanatico in errorem abrepto, quam a pluribus qui difficillime eadem vel mentiuntur vel errant; quod omnium minime locum habet, vbi nulla coitionis ad conſpirandum, obſequii & aſſentationis, plagiique in tranſcribendis aliorum cogitatis dictisque copia datur. Difficilius praeterea ſibi conſtant ineptiarum fraudumque conditores in pluribus libris diuerſorum plane temporum, quam in vno libro ita conſcribendo vt non diffluat. Quod MVHAMMEDIS exemplo ſatis comprobatur, qui ne vnius quidem libri partes ſingulas per longiora temporis interualla ſcriptas ſic coagmentare potuit, vt inter ſe non committerentur. Intellexit haec aduerſarius niſi cum bona mente rationem omnino peſſundedit, ipſaque indignatione in transuerſum actus, audaciſſima temeritate cauſſae deſperatae ſubueniendum eſſe putauit, commutaturus ſi fieri poſſet praeſidia & argumenta ſecuritatis librorum diuinorum a fraudis & erroris ſuſpicione in criminationis opportunitates, atque perſuaſurus lectoribus, vel PAVLLVM per quatuordecim ſcripta diuerſis temporibus in litteras relata, amentiam animumque fanaticum melius occultare potuiſſe, quam vno libro; vel diuina non eſſe quae diuerſis temporibus atque plurium hominum miniſterio peraguntur

Intolerabilior fere eſt inſolentia vituperationis proximae, quam ſcriptores ſacri ſubeunt, quod homines priuati fuerunt. Quaſi vero aut ad libros bene ſcribendos doctrinaque de aliis praeclare merendum publica auctoritate & perſona magiſtratus opus eſſet, aut ne ipſe DEVS quidem hominem priuatum legare & dignatione doctoris ſaltem publici impertire poſſet.

Quae tertio loco comparet obtrectatio omnium quidem infestiſſima eſt fallaciſſimaque, ſed nihil omnino habet

quo

quo se sustentet ac tueatur, praeter audacissimam cauillatoris mentiendi libidinem, quem plane frontem perfricuisse omnemque pudorem posuisse necesse est, ad ea effutienda, quorum falsitatem neque ipse ignorare potuit, neque sperare aliorum vel mediocriter oculatorum sensibus subductum iri. Vt PAVLLI duntaxat rationem habeam, ex innumeris locis ea excitabo quae euidentissime rem conficiant ROM. XV *com.* XVIII. XVIIII; I COR. II *com.* IIII &c. X &c. XIII &c. *cap.* VII *com.* XXXX; *cap.* XIIII *com.* XXXVII; II COR. XII *com.* XII, *cap.* XIII *com.* III; GAL. III *com.* II. V &c. *cap.* III *com.* XIIII &c. EPH. III *com.* III. V. VII &c. COL. I *com.* XXV. XXVIIII; I THES. I *com.* V &c. *cap.* II *com.* XIII; HEBR. II *com.* IIII: quibuscum conferri possunt luculentae assertiones dignitatis apostoli seu legati diuini, atque auctoritatis ab errandi periculo immunis, quibus nihil asseuerantius cogitari potest, I COR. XV *com.* VIIII. X &c. *cap.* VIII *com.* I. V. II COR. XI *com.* V. GAL. I *com.* I &c. *cap.* II *com.* VIII, &c. ROM. I *com.* I &c. V &c. I THESS. II *com.* VII; inprimis si contendantur cum I COR. XII *com.* XXVIII. EPH. IIII *com.* XI &c. *cap.* II *com.* XX; atque cum MATTH. X *com.* XVIIII. XX. XXXX; MARC. XIII *com.* XI; LVC. XII *com.* XI. XII, *cap.* XXI *com.* XV; IOANN. XIIII *com.* XXVI, *cap.* XVI *com.* XIII &c. ACT. IIII *com.* VIII. XXXI. XXXIII, *cap.* V *com.* III &c. XXXII &c. *cap.* VIII *com.* XVIII & deque cum ACT. XIIII *com.* III, & MARC. XVI *com.* XX.

In quarta criminatione, si serio rem egit declamator, vel existimare debuit libros certis hominibus populisque inscriptos nihil prodesse generi humano, neque aliis simul instruendis destinari posse; cuius admodum tamen immemor fuit cap. IIII §. VII. p. LI vbi pronuntiauit *doctrinam moralem, quam gentium philosophi nos docuerunt, aeque saltem*

 tem

tem puram esse ac IESV CHRISTI morum disciplinam, idque ex officiis CICERONIS apparere, licet hi libri de officiis ad MARCVM filium scripti sint, & reliqui antiquitatis philosophi plerosque libros suos certis hominibus inscripserint: vel autumare libros minus patere suspicionibus & cauillis qui aut nemini inscribuntur nullasque occasionum scriptionis significationes continent, scilicet vt incerti auctoris esse videantur; aut ad hominum vniuersitatem diriguntur, vt eo speciosius in suspicionem scriptionis fanaticae adduci possint.

Quintae incusationis sensum & argumentum nemo mortalium facile assequeretur sine interpretatione auctoris, qui insigni lectorum beneficio sententiam suam clarius explicatam dedit atque libros ordinarios & humanos a libris extraordinariis & diuinis adeo euidenter distinxit, vt nemini amplius ambigendum sit, quae scriptori huic primo certe atque vt spero soli a libro diuino & extraordinario requiri videantur. Audiendus igitur est ipse interpres doctrinae inauditae & adeo reconditae vt concipi nequeat. Videlicet arbitratur, pertinere ad librum diuinum & extraordinarium primum vt corrumpi vitiarique nulla ratione possit; deinde vt lingua scriptus sit quam omnes in vniuersum homines calleant; praeterea vt perperam intelligi nequeat; proxime vt in transscribendo librarios ab errandi periculo immunes praestet; & tandem vt praeter haec omnia signo aliquo perpetuo gaudeat quo ab aliis libris omnibus distinguatur (10), odoris sine dubio aut splendoris incomparabilis, si quid con-

(10) Incredibilis insaniae fidem facturi scriptoris verba dabimus cap, III §. 1. p. XXVIII. haec leguntur: „*l'ecriture doit etre incorruptible pour etre la regle de notre foi; elle devroit etre ecrite en un Langage, qui put etre entendu de tous les hommes, parceque tous les hommes sont indispensablement obligés de savoir ce que Dieu demande d'eux & que Dieu doit leur*

coniicere licet. Quod in reliquis etiam conditionibus faciendum esset, si singula intelligi plene deberent, quae proprodigiosus miraculorum inuentor ad librum extraordinarium efformandum comminiscitur, atque diuinanda lectoribus designat. Aut enim animandus fuisset eiusmodi liber vita, voce ac spiritu & linguarum omnium perito, & sensus interprete, & errorum apud lectores debellatore, & integritatis incorruptae custode; aut vegetatione saltem & generatione impertiendus ad noua exempla procreanda sine scribarum ope. Huiusmodi autem libros extraordinarios PAULLUS certe aut alius quisquam scriptorum diuinitus actorum nobis non reliquit: quod diuinae ipsorum auctoritati fraudi non erit, neque desiderabitur a quoquam sensus communis homine, non adeo extraordinario vt ipsa vafricia insaniat.

Sextam offensionem insipienter omnino excogitauit veterator, cuius vnam partem ipse euertit, quum in illis quae sequuntur consecrationem horum librorum, quos diuinitus profectos habemus, penuriae scriptorum antiquitatis tribuit, quae tamen hic innumera aetatem tulisse perhibet: alteram

)()()(3 vero

apprendre pour avoir droit de les punir ou de les recompenser. Or l'ecriture est sujette a l'erreur en tout sens - - - elle est sujette aux fautes des copistes qui ont bouleversé le sens de plusieurs passages - - - il y a non seulement des passages, que les interpretes les plus reguliers et les plus orthodoxes conviennent avoir eté corrompus, mais il y en a meme d'ajoutés. Or si un passage est corrompu, qui m'assurera que l'autre ne l'est pas? Qui m'assurera que les livres de l'ecriture ont été dictés par le St- Esprit? Eodem capite IIII p. XXXVI sic pergit *Non seulement Jesus Christ devoit donner lui même les livres de l'ecriture sainte et les determiner pendant sa vie, mais encore il falloit qu'ils ne fussent pas sujets aux fautes des copistes et qu'ils eussent quelque caractere qui les distinguat; autrement un Indien de bon sens ne peut les regarder que comme des livres ordinaires. Un tel miracle etoit plus necessaire et plus raisonable que de susciter des morts. Les divers prodiges, s'ils sont vrais, non pû etre utiles qu'aux hommes qui les ont vûs, celui ci opereroit dans tous les tems.*

vero & PETRI testimonium destruit, qui II Epist. III com. XVI litteras PAVLLI ipso viuo aduersariis innotuisse maleque exceptas fuisse diserte commemorat, & ciuitatis sacrae historia conuellit, cuius fide indubia constat, neque delituisse diu ipsius aut cuiusquam scriptoris diuini libros a factionis hominibus occultatos, neque a primis populi *christiani* originibus notitiam & oppugnationem effugisse hominum a doctrinae in illis propositae puritate alienorum.

Septima obtrectatione sine teste & sine tabulis prolata nihil proficiet fabulator apud quemquam vel non turpiter plane credulum, vel rerum olim gestarum non penitus ignarum. Ipse prouentus scriptorum subdititiorum apostolos auctores mentitorum a saeculo secundo non solum comprobat publicam & antiquitus stabilitam venerationem atque obsequium erga apostolorum scripta, verum etiam effictam hanc & novitatem consecrationis horum librorum temporum progressu factae, & penuriam scriptorum falsi conuincit.

In vltima calumnia omnium sacerrima, quae neque deterior & flagitiosior, neque misere impudentior fingi potuisset, computum taeterrimi conuitiatoris non sollicitabo, quo annum a nato CHRISTO trecentesimum vigesimum quintum quadrigentos circiter annos a morte CHRISTI remouit, vt consecrationem *nicaenam*, quam ementitur, sesquisaeculum fere recentiorem efficeret, quam per ipsam hanc mendacissimam opinionem foret, si anni recte numerarentur. Sed haec duo duntaxat vrgebo, quae aduersarii cum turpem rerum, quas tamen disputat, ignorationem, tum effrenatam lectores fallendi libidinem manibus contrectandam dabunt. Scilicet euenit circulatori audacissimo, quod plerisque scriptoribus semidoctis accidit, quoties eruditionem affectant & ostentant, vt vaga & confusa auditionum recorda-

tione

tione abrepti, ea, quae distinctissima immo etiam diuersissima sunt, pro iisdem habeant & inter se permutent, atque adeo ridendos se exhibeant. Audiuerat sine dubio antitrinitarios concilio *nicaeno* imputare origines doctrinae de trinitate, qualem orthodoxi doctores profitentur, quamque hi aduersarii & *nicaenam* & *athanasianam* vocare solent, vt secure de consensu patrum antenicaenorum glorientur: existimauit igitur fuisse saltem homines, qui negauerint IESVM CHRISTVM ante concilium *nicaenum* a quoquam pro Deo habitum cultumque fuisse, idque, si aliis persuaderi posset, in rem suam cessurum arbitratus, asseueranter confirmauit quod nemini mortalium in mentem venit, ipsique antitrinitarii vel audacissimi indignaturi essent, si sua fide & auctoritate tantum facinus committi rescirent, mendaciumque vulgari cui libri diuinitus scripti omniaque ciuitatis *christianae* trium primorum saeculorum monumenta ita refragantur vt nihil supra. In reticentia autem diuinitatis IESU CHRISTI, cuius ipse praeco esse noluit, insectanda traducendaque mendacissime, non cogitauit cauillator & verbis sermonibusque opus non esse vbi res ipsa loquitur, indubiaque gestorum documenta dignitatis fidem faciunt, quam bene multi viuo ac inter mortales conspicuo CHRISTO agnouerunt veneratique sunt; ipsum IESVM non ita se abstinuisse a diuinitate declaranda, omnibusque opportune approbanda, vt nullam illius mentionem fecerit vnquam vindiciasque prorsus neglexerit, licet eam neque declamatorie praedicauerit, neque ignoratam impugnatamque vltum iuerit, quod humilitatem ad partes sacrificii piacularis implendas necessariam non decuisset; & solemnem manifestationem dignitatis honorisque ipsi debiti post reditum gloriosum in vitam, operationibus miraculosis spiritus sancti & apostolorum ministerio

nisterio reseruatam, eorumque sermonibus, factis, atque scriptis adeo abundanter peractam fuisse, vt eius inficiatorem vel haec omnia gnauiter & pertinaciter ignorare, vel impudentissime mentiri oporteat.

Alter impetus in PAVLLVM factus cap. II §. X p. XXX exstat his verbis propositus: S. PAVLLVS, *qui tamen in tertium coelum se raptum iactauit, atque regulas morum ignorare non debuit, in quatuordecim epistolis ne vnicum quidem consilium dedit ad vitam spiritualem nostro tempore commendabilem profuturum* (11). Ad quem repellendum, haec obseruare iuuabit: eadem maiorique veri specie negare potuisse nugatorem, vel vnicam doctrinam theologicam deprehendi in PAVLLI aut alicuius scriptoris diuinitus acti libris, quod corpora doctrinae, systemata & breuiaria theologica non exhibent; quam qua inficiatur regulas morum consiliaquae vitae spiritualis inesse PAVLLI epistolis, quod ea ratione eoque stilo scriptae non sunt, quo nonnulli libri exercitiis religiosis destinati recentius prodierunt. Quid quod potuisse cauillatorem longe verisimilius asseuerare, vel ipsam rationem immutatam fuisse, quam tamen frequenter eandem semper manere sibique constare affirmat, vel ratiocinandi artem plane

(11) Integrum transscribam paragraphum verbis *gallicis* ita conceptum, *la morale d'aujourd'hui est bien differente de celle d'autre fois; nos livres de pieté sont d'un gout tout autre; St. PAVL, qui s'est vanté d'avoir été ravi au 3 ciel, & qui ne devoit pas ignorer les regles des moeurs, ne nous a pas donné en 14 epistres un seul conseil essentiel a la vie spirituelle de nos jours. Quel est le livre ancien qui ait recommandé aux fideles la frequentation des sacremens? Leur a-t-on apris, les conditions d'une bonne confession, la preparation a la communion! Quel est au contraire le livre de pieté de notre tems, qui ne parle pas de toutes ces choses? il n'y a rien dans toute l'antiquité qui vaille le combat spirituel, ou l'imitation de Iesus Christ. Voila ce qu'on apelle des livres de pieté: mais de bonne foy ou en sommes nous? quelle est donc notre regle? la religion change-t-elle a chaque siecle?*

ne exſulaſſe apud veteres, quod philoſophorum ſcripta & libri, qui ratiocinandi praecepta exhibent, ſtilo & diſpoſitione differunt ab antiquitatis monumentis. Praeterea exemplum variatae morum diſciplinae ad fidem faciendam diſceſſionis a veterum doctrina & conſuetudine infelicius excogitari non potuiſſe, quam quod adducitur frequentis vſus ſacramentorum, qui vna cum praeparatione ad euchariſtiam ab antiquitate chriſtiana abfuiſſe videtur fabulatori, quem vt reliqua diſciplinae vetuſtioris monumenta ipſamque hiſtoriam ſacrorum publicorum non commemorem, vel ſolae PAVLLI ad CORINTHIOS litterae contrarium edocuiſſent, niſi ignorantiam prodere aut ſimulare maluiſſet quam cauillis temperare. Apparere denique inexcuſabilem commutationem ſacrorum pontificiorum, opinionumque priuatarum cum publica communique chriſtianorum doctrina & diſciplina ad libros diuinos ſpecioſius inſectandos: quod veteratori per integrum librum ſolemne eſt, vbi myſticum ſubinde & fanaticum agit, nonnunquam antitrinitarium ſe gerit, plerumque tamen pontificium hominem ſimulat; prout ad fraudes nectendas fallaciasque excogitandas conuenientius ipſi videtur.

Tertia calumnia, qua PAVLLVM aliquoties inuadit facinoroſus obtrectator, eo redit, vt illum cum PETRO ipſoque CHRISTO committat, & vtrique contradicentem exhibeat: vbi certe ignorationi litterarum diuinarum debetur, quod IACOBVS in aciem non producitur, cuius pugna cum PAVLLO, licet verborum ſignificatione diuerſa abſoluatur, non ſententiarum contradictione, excuſatius tamen & ſpecioſius excitaretur, quam pleraque quae hic comminiſcitur aduerſarius.

)()()()(

Con-

Concertatio cum PETRO bis commemoratur cap. I §. VIII p. XII vbi haec leguntur, *FENELONIUS Cameracensis archiepiscopus cum vnctione scripsit contra BOSSUETUM meldensem episcopum; S. HIERONYMUS cum vnctione scripsit contra St. AVGVSTINVM; St. PAULLUS contra St. PETRUM* (12): iterumque cap. IIII §. V p. XXXXVIII *St. PAVLVS St. PETRVM erroris conuicit, potueruntque, vt obiter id commemoretur, seorsim errores profiteri. Quum igitur de capitibus religionis disputarunt, aeque inspirati a spiritu sancto non fuerunt* (13). Fallacissimae & narrationes & argumentationes excipiendae sunt vt par est, sed breuissime. Non aliter enim haec referuntur ac si PETRVS & PAVLLVS scriptis decertassent, vel hic illum libro singulari, parte saltem libri peculiari impugnasset, vel doctrinam ipsius erroneam redarguisset, vel vterque in capitibus doctrinae diuinae diuersa & cum alterius sententia pugnantia statuisset suosque docuisset, cum publico opinionum dissidio: quorum tamen omnium nihil quidquam vere narratur. Omnis haec fabula ex GAL, II com. XI &c. exsculpta illico eua-

(12) Plenior locus haec habet, *L'onction depend du temperamment, c'est le propre des temperammens tendres. M. de Fenelon, archeveque de Cambray, ecrivoit avec onction contre Mr. Bossuet Eveque de Meaux. St. Jerome a ecrit avec onction contre St. Augustin: St. Paul contre St. Pierre. St. Cyprien soutenoit avec onction, que le bateme des heretiques ne valoit rien.* In quo eruditionis scientiae lectionisque specimine satis indubie AVGVSTINI partes HIERONYMO imponuntur, cuius disputationes nullae vnctionem prae se ferunt, nisi vehementia, vt videri posset, pro vnctione habeatur, quae tamen in animorum teneritatem & mollitiem cadere nequit.

(13) *St. Paul a convaincu St. Pierre d'erreur, & pour le remarquer en passant, ils on donc pû precher separement des erreurs. Or puis qu'ils disputoient sur des faits de religion, ils n'etoient donc point egalement inspirés du St. Eprit.*

euanescit, si ipsum PAVLLVM audimus auctoremque sequimur, qui in loco excitato PETRVM non oppugnat, sed reprehensionem narrat qua ipsi olim animaduertendum fuerat in PETRI non doctrinam sed factum aliquod illegitimum, quo ille a doctrina, communi apostolorum consensu suaque ipsiusmet sententia breui ante stabilita, incogitanter nihilque id suspicatus discesserat, monendus igitur reuocandusque non ab erronea doctrina sed a facto, quo errori perperam quamuis inscius velificabatur. Huiusmodi reprehensio cum controuersiis & insectationibus *Bossuetianis*, aut disceptatione CYPRIANI & sequacium cum episcopis *romanis*, sine veritatis violatione neutiquam comparari potest. Longe tamen intolerabilior est fallacia, qua in argumentando nefarie vtitur iniquissimus cauillator. Nam etsi verissima fuisset dissensio PAULLI & PETRI, differentia sententiarum & pugna circa aliquam doctrinae per reliqua communis partem, cuius tamen quidquid hic proponitur falsum est: nihil certe consequeretur, quam alterutrum errasse, atque adeo vtrumque sententiam suam a spiritu sancto habere non potuisse, ipsamque inspirationem neque perpetuam fuisse, neque ad singulas sententias & actiones ipsorummet indubiorum CHRISTI legatorum pertinuisse. Insigni autem violentia multisque fidiculis opus erit ad has conclusiones extorquendas, potuisse apostolos in capitibus doctrinae sanctioris diuersa statuere, singulosque errare erroresque profiteri, euertique hac dissensione ac errorum professione singulorum inspirationem.

Contumeliosior est discessio PAVLLI ab ipso IESV, quam criminosus opinator ita proponit cap. II §. V p. XXI *MOSES statum populi iudaici plane immutauit. SALO-*

MO alias praeterea mutationes inuenit. IESVS CHRI-CHRISTVS maiora nouauit. St. PAVLVS declarauit Deum nolle amplius victimas (14). Aut enim haec omnia frustra & inaniter narrantur, aut dissensionem & pugnam indicant eorum, quos aduersarius vt sacrorum nouatores mutationumque doctrinae sanctioris auctores repraesentat. Qua in re vt appareat quantopere falsus sit, vel lectores potius fallat iniquissimus circumscriptor, non vrgebo malitiosam mentionem solius PAVLLI factam in commemoranda victimarum abrogatione, ac si reliqui apostoli alia omnia docuissent; neque ignorantiam ostentatoris insectabor, qui indubie satis DAUIDEM cum SALOMONE commutauit: haec tria tamen non praeteribo, primum, IESVM quoad in terris vixit ne leuissimam quidem sacrorum & cultus publici mutationem attulisse suisque praeiuisse, atque nihil omnino docuisse, quod eo spectare videatur, quam quae in ipsis prophetarum praegressorum vaticiniis sermonibusque iam deprehenduntur, atque a PAVLLO & reliquis apostolis plenius explicantur, de consilio diuino in ordinandis *Israelitarum* sacris ab apostolorum nemine sublatis, sed ab ipso Deo cum interitu templi *hierosolymitani* sapienter euersis; deinde, id sibi sumere

(14) Copiosius omnis haec obtrectatio ita se habet *Dieu est immuable, tout ce qui est changement ne lui sauroit convenir. la religion chretienne a changé trop de fois de culte & de face, pour avoir jamais été inspirée de Dieu a Adam; & les patriarches honoroient Dieu d'une maniere differente de leurs descendans. Moyse a changé la face du peuple juif. Salomon a apporté encore d'autres changemens. Iesus Christ a fait encore toute autre chose. St. Paul a fait voir que Dieu ne vouloit plus de victimes. Chaque siecle, chaque concile a apporté quelque nouvelle discipline, je pourrois méme dire quelque dogme nouveau, & on en conviendroit, si l'on etoit de bonne foy. Non, tous ces changemens ne sont pas l'ouvrage de Dieu, & ne decouvrent que trop l'ouvrage de l'homme.*

mere hominis audaciam, vt ea pronuntiet de constantia & immutabilitate DEI, quae sapientiam & bonitatem diuinam penitus euerterent si admitterentur, cui omnino conuenit in procuranda hominum salute, condenda ciuitate sanctiore, ordinandisque sacris, hominum rationem habere, iisque doctrinam & cultum attemperare, per gradus procedere, singulisque aetatibus amplificationes accommodare, quod sine vicissitudinibus ipsiusmet rei sacrae & doctrinae reuelatae fieri potuit, & factum omnino est, licet religiones variauerint, neque omnem ambitum doctrinae christianae ADAMO inspiratum fuisse quisquam dixerit, nisi litterarum diuinarum vel plane ignarus, vel in easdem pessime animatus; cum insigni denique praeuaricatione ad eleuandam constantiam doctrinae & sacrorum diuinitus ordinatorum, ea quae hominum culpa euenerunt, vel ipsi DEO vel doctrinae saltem reuelatae tribui vitioque verti, atque ipsas rerum antiquissimarum instaurationes & vindicationes a corruptelis & erroribus recens inuectis, in nouitatum & variationum numero collocari.

Quarta ludificatio maledicentissimi irrisoris cap. VII. §. XI p. LXXXVII occurrit, vbi inter alia ludibria foedissima, quibus vaticinia librorum diuinorum laesum iuit, haec leguntur. *Pertinet ad signa humanae originis oraculorum ambiguitas responsorum, artificiumque accommodandi illa ad omnes euentus, qui prospici potuerunt. St. PAVLVS ante* CIↃIↃCC *annos & quod excurrit, praedixit aduentare antichristum, qui tamen adhuc dum exspectatur. Resuscitans IESVM sicut & in PSALMO II scriptum est, filius meus es tu, ego hodie genui te,* ACT. XIII *com.* XXX II. *Estne hoc vaticinium clarissimum ad efficiendam generationem verbi?*

 Ipsum

Ipſum enim hoc vaticinium excitatur: ego hodie genui te, & rurſum, ego ero illi in patrem & ipſe erit mihi in filium. HEBR. I *com.* V (15). Quibus verbis tot falſa accumulauit locuples fraudum fabricator, vt partitione opus ſit ad potisſimas fallacias diſpellendas.

Initium cauillandi fit malevola comparatione vaticiniorum in libris diuinis obuiorum, cum reſponſis oraculorum apud varias gentes, vt lectoribus imponatur, atque ſi fieri poſſet perſuadeatur, legatos DEI praedictionibus fortunarum vacaſſe rogatosque rerum incertarum caſus futuros reſponſa dediſſe, atque vaticiniis ſuis ancipiti verborum ambiguitate veritatem proſpexiſſe, facilemque in vtramque partem & omnes euentus applicationem. Quod duplici exemplo oſtenſurus obtrectator ea proponit, quibus alia omnia potius efficerentur quam artificioſae fraudis ſuſpicio. Prior enim praedictio inſulſum vatem proderet, non callidum & ſagacem fraudis artificem, ſi per XVII ſaecula nihil accidisſet quo ſpecioſe applicari poſſet. In poſteriore autem quidquid hic ridetur ipſi vaticinio, ſi eo nomine inſigniri poteſt

(15) *Une des choſes, qui marque que les hommes ſe meloient des oracles c'eſt l'ambiguité des reponſes & l'art qu'on avoit de les accommoder avec tous les evenemens qu'on pouvoit prevoir. St. Paul diſoit, il y a 1700 ans & plus, que l'antechriſt alloit venir, & on l'attend encore. Reſuſcitans Ieſum ſicut & in Pſalmo 2 ſcriptum eſt, filius meus es tu, ego hodie genui te Act. ch.* 13 v. 33. *la Prophetie n'eſt elle pas claire, ſi on veut prouver la generation du verbe? on cite auſſi cette prophetie, ego hodie genui te & rurſum, ego ero illi in patrem & ipſe erit mihi in filium Hebr. ch.* 1 v. 5. Scilicet vt videatur pontificiis ſacris addictus nullius fidei & religionis circulator, illorum more interpretis latini verba recitat, quae *gallice* non reddit ad faciliorem effuſioremque riſum faciendum apud lectores, qui latine neſciunt,

est, fraudi esse nequit, quum omnis culpa non in vatem sed interpretem recideret, si quid in eo intelligendo & applicando erratum esset.

In PAVLLO antichristi vate excitando, aut me omnia fallunt, aut calumniator IOANNIS effata in mente habuit, in cuius vnius scriptis diserta *antichristi* mentio facta est, quae in PAVLLI litteris frustra omnino requiritur. Etsi enim in posteriore ad *Thessalonicenses* epistola & vtraque ad *Timotheum* ipsa res deprehendatur, ad haec certe loca respexisse non videtur accusator, qui ea vel praeclare ignorauit, vel verbis PAVLLI vsurus fuisset ad falsitatem vaticinii euidentius commonstrandam, non IOANNIS: caussae enim perditissimae nihili referebat, vtrum sibi nominatim impugnandum traducendumque designaret, quod in PAVLLO difficilius fieri posse ipse perspexisset, si vtriusque loca contulisset, quum verbis *paullinis* corruptor & aduersarius ciuitatis sacrae domesticus vltimis temporibus diserte reseruatur, IOANNES autem proxime imminere suoque tempore iam aduentare antichristum perhibet.

Chronologiam hominis inauditam non confutabo, miror tamen, qui a scriptis epistolis siue PAVLLI siue IOANNIS, quae saeculi primi ad finem vergentis fuerunt, non solum CIↃDCC annos, quod numeri rotunditate excusaretur, sed supra etiam & amplius numerat: eadem felicitate, qua cap. III § VIIII p. LIII IESVM post resurrectionem plus quam septuaginta dies in terris moratum fuisse memorat eximius numerorum artifex.

Argu-

Argumentationem vero, qua vtitur, non dimittam ſine examine. Quod ſi enim veriſſimum eſſet, Antichriſtum, quem PAVLLVS aduentantem praedixerat, adhucdum exſpectari poſt ſaecula XVII; alius quisque alterutrum exinde conſequi arbitraretur, vel inſigniter errare hanc vulgarem opinionem, vel adeo claram, certam & ab ambiguitatis vmbra remotam eſſe antichriſti praedictionem, vt nulla veriſimilitudine ad tempora praeterita aut praeſentia trahi potuerit. Noſtro autem criminatori ad alia omnia abeundum eſſe videtur. Inſipienter antichriſtum exſpectat vt ſenex decrepitus pubertatem praeſtolatur, idemque vulgo & ab vniuerſis fieri mentitur: atque hanc opinationem ſufficere exiſtimat ad efficiendum, vel falſum eſſe PAVLLI vaticinium, vel adeo ambiguum, vt cuiuis euentui facile aptari poſſit.

In altero pſalmi ſecundi oraculo, omnis controuerſia redit ad verae & legitimae interpretationis atque applicationis diſquiſitionem, quae cum praedictionis veritate vindicanda nihil commune habet. Idem interpres eadem verba ad res diuerſas approbandas excitat, quod ſine errore ſenſuque multiplicato fieri potuit. In epiſtolae ad HEBRAEOS loco princeps oraculi argumentum proponitur, vt Dei verbis demonſtretur, CHRISTVM Dei filium eſſe non adoptione ſed generatione: in ſermone autem a LVCA in litteras relato perhibetur, reſurrectione CHRISTVM dei filium declaratum eſſe, indubieque demonſtratum, ROM. I *com.* III, atque adeo fidem verbis Pſalmi allegati factam datamque ipſa re confirmatam & liberatam. Qua applicatione ac argumentatione quid peccauerit PAVLLVS, non reperio.

Vltimum

Vltimum periculum lacessendi PAVLLVM facit nequissimus vituperator cap. X §. I p. CXVIII, vbi his verbis in illum inuehitur: *Quid statuendum est, si consideratur, doctrinam christianam matrimonium repraesentare vt statum imperfectionis si cum caelibatu comparetur? Legantur ea quae St. PAVLVS & patres ecclesiae hac de re pronuntiarunt: apparebit necessarium esse vt christianos coniugii contrahendi pudeat. Quid vero ageretur cum societate ciuili sublato matrimonio.* (16). Satis hic callide in rem suam aeque ac insolenter immanis dicacitas hominis PAVLLVM cum inferioris ordinis doctoribus antiquis populi christiani, quos patres vocant, copulat & commiscet, vt quod horum nonnulli a saeculo quarto sensim errarunt, non solum cum inexcusabili iniuria reliquis omnibus; verum etiam ipsi PAVLLO CHRISTI legato per summum nefas imputetur. Quae calumnia quantopere a vero abhorreat, nemini obscurum erit qui cogitauerit, PAVLLVM iubere matrimonium in honore haberi HEBR. XIII *com.* IIII; maritos vxoresque officii sui commonefacere EPH. V *com.* XXII-XXXIII, COL. III. *com.* XVIII. XVIIII, foeminisque iunioribus marito orbatis iteratas nuptias imperare licet inhonestiores ciuiliter haberentur I TIM. V *com.* XIIII, atque in ipsis doctoribus sacrorumque ministris matrimonium requirere I TIM. III *com.* II. XI. XII, TIT. I c. VI ipsumque coniugium & partum inter adminicula salutis vxorum referre I TIM. II *com.* XV, quid quod

)()()()(pro-

(16) *Mais que dira-t-on, si l'on considere que la religion chretienne regarde le mariage comme un état d'imperfection par rapport au celibat? qu'on lise ce qu'ont dit St. Paul & les peres de l'eglise sur ce point; on verra que les chretiens devroient avoir honte de se marier. Et que devriendroit la société civile sans le mariage?*

prohibitionem matrimonii doctrinis perniciosissimis daemonum accensere I TIM. III, *com.* III; immo etiam in ipsa virginitatis commendatione I COR. VII, quae sola obtrectationi praetexi posset, diserte omnes caelibatu interdicere, qui dono continentiae destituuntur, stimulisque aut igniculis voluptatis vruntur, atque integram illam disputationem vtrique errori opponere, tam illorum qui in ipso matrimonio abstinentiam vel inuitissima altera parte licere arbitrabantur, quam aliorum qui matrimonium omnibus adeo necessarium statuebant, vt illaeso DEO & sine felicitatis detrimento intermitti non possit: contra quos maiorem caelibatus non perfectionem sed commoditatem, facilioremque opportunitatem effugiendi publicas temporum afflictorum calamitates tuetur.

Emensus nunc stadium, quod mihi decurrendum designaui, missum facio detestabilem librum, atque ab ingratissimo conspectu conuitiorum irreligiosissimorum, quibus bonus quisque cum horrore ingemiscit, ad gratiorem iucundioremque laborem me conuerto, si labor dici potest, quod officii amoris & voluntatis est. Non enim concludam praefationem quamuis satis prolixam, antequam scriptori huius introductionis in epistolam ad PHILIPPENSES, quem inter scholarum mearum ornamenta habeo, Deoque acceptum refero, vt alia DEI beneficia, praecox & excellens ingenium, laudabilem industriam, ac bonae mentis studium, magnamque de se spem factam, ita inprimis hunc librum ex animo & vere gratulatus fuero, quo indubium doctrinae, lectionis, & dexteritatis documentum dedit, laborum-

rumque primitias publicas diuinarum litterarum intelligentiae feliciter consecrauit. Faxit immortalis DEVS, vt cum ipse scriptor vberrimos industriae fructus capiat in rem suam aliisque referat, atque de bonis litteris & ciuitatis sacrae commodis diu multumque optime mereatur, tum innumeri alii excitentur & formentur librorum diuinitus scriptorum lectores industrii atque intelligentiae & obsequii studiosi, innumerique eorundem interpretes, vindices & propagatores. Dedi Halae ad Salam in academia Fridericiana d. X Mai. CIↃ IↃ CCXXXXVI.



CON-

CONSPECTVS
TOTIVS INTRODVCTIONIS

Sectio



SECTIO I.

DE AVTORE EPISTOLAE.

§. 1.

PAVLVM apostolum verum huius epistolae autorem esse, omnes uno quidem ore fatentur: confirmari tamen potest, *primum*, ex inscriptione ipsa; *deinde*, ex constanti & unanimo testimonio veterum; *denique* ex convenientia scripturae generis huius epistolae, cum stylo aliarum epistolarum Pauli. De unaquaque probandi ratione sigillatim disputandum est.

Argumentum sect. I. indicatur.

§. 2. Patet igitur I. *ex manifesta autoris in inscriptione epistolae mentione.* Ita enim incipit epistola: ΠΑΥΛΟΣ *καὶ Τιμόθεος* δȣλοι Ιησȣ χριςȣ &c. Accedit, quod passim de autore talia narrantur, quae in neminem nisi Paulum quadrare manifestum est. Huc pertinet quod de vinculis in quae coniectus sit, refertur c. 1, 7. 13. 30. coll. Ephes. 3, 1. 4, 1. Actor. 21, 13. & de vitae cursu commemoratur. c. 3, 5. 4, 15. 16. coll. Act. 23, 6. c. 22, 3. c. 16, 17.

Probatio I. Paulum esse autorem epist.

Dubium e medio tollitur.

Huic argumento non obstat 1) Paulum hic non *apostolum* sed δȣλον Ιησȣ χριςȣ vocari. Nemo enim legitime inde argumentabitur, epistolam hanc non esse inclyti illius *Pauli*, sed alius cuiusdam *Pauli*, qui non apostolus. Nam & *Petrus* 2 epist. c. 1, 1. & *Iacobus* c. 1, 1. ita se appellant, omnesque nuncii evangelii ita vocantur, singulari ratione ad hoc munus constituti, plenaque a Deo potentia instructi. Paulus vero hoc nomine utitur, quia hoc officium ipsi cum *Timotheo* commune erat, non vero apostolicum. *Modeste enim*, inquit GROTIVS ad h. l. *eum quaesivit titulum*, *in quo Timotheum secum sociaret*. Nihil dicam de multis aliis rationibus, & horum Dei servorum, & Philippensium auditorum illorum officia designantibus. 2) *Timothei* etiam in hac inscriptione mentionem fieri. Ut enim omittam, in aliis quoque epistolis id factum esse (a), etsi nemo inde colligat, Paulo propterea epistolas hasce iure non adscribi, ideo nominatur, quoniam Paulus a) testari vult, Timotheum collegam se sociumque agnovisse fidelissimum, non muneris sui molestias solum levantem, sed qui etiam denato se in locum suum suffici posset, b) *quod cum in utroque Philippus itinere Paulum esset comitatus*, *notus ob id*, *charusque esset Philippensibus*, monente GROTIO ad h. l. c) iunctus etiam ideo videtur, *ut de adventu Timothei*, *quem promittit Paulus*, *ne dubitarent*, *utque ipsi autoritatem maiorem apud eosdem conciliaret*, ex mente CALOVII (b), d) denique, ut lectores humilitatis modestiaeque suae exemplo doceret, ita doctrinam suam confirmans (c).

Falsae autem sunt, quae ab aliis in medium prolatae sunt rationes, Timotheum Pauli nomini suum adiicisse 1) quia scriba epistolae fuit (d), 2) ut suum quoque consensum testaretur, quippe cuius fama & autoritas satis praeclara fuisset. Ita senserunt ZANCHIVS & MENOCHIVS (e) SAL. VAN TIL (f) & qui illos secutus est

(a) conf. 1 Thes. 1, 1. 2 Thes. 1, 1. Colos. 1, 1. (b) in bibl. illustr. tom. 4. pag. 737. (c) conf. c. 2, 13. s. coll. 1 Cor. 15, 9. Ephes. 3, 8. (d) vide infra sectione X. §. 1. (e) apud POLVM *in synopsi criticorum* vol. 5. pag. 789. Francof. 1679. (f) *in comment. ad 4 epistolas Pauli* pag. 323. ad Colos. 1, 1. & 260.

est CHRISTOPH. STARKIVS (g) vide autem quae circa hanc sententiam monuit cel. Wittenbergensis Theol. D. HOFMANNVS (h).

§. 3. Argumentum II, unde constat Paulum esse huius epistolae auctorem, desumi potest *ex constanti & unanimo consensu veterum.* *S.* IGNATII *martyris* quidem *epistolam ad Philippenses de baptismate*, testem laudarem, nisi inter scripta ficta & commentitia a plerisque iure numeraretur (i). Neminem tamen, ut opinor, pigebit, testimonium huius epistolae hic legere, quod ita se habet aput COTELERIVM (k): Μεμνημενοι της ἀγαπης ὑμων, και της ἐν Χριςω σπȣδης, ἧς ἐνεδεξαθε ἐφ ἡμας, πρεπον ἡγησαμεθα γραψαι προς την Φιλαδελφον ὑμων, ὑπομιμνησκειν ὑμας τȣ ἐν Χριςω ὑμων δρόμȣ, ἱνα το αὐτο λεγητε παντες συμψυχοι, το ἐν φρονȣντες, τῷ αὐτω κανονι της πιςεως ςοιχȣντες, ὩΣ ΠΑΥΛΟΣ ὙΜΑΣ ἘΝΟΥΘΕΤΕΙ, scilicet in epistola ad hos ipsos Philippenses cap. 3,16, ubi eandem adhortationem deprehendimus, verbis: τω αὐτω ςοιχεῖν κανονι, το αὐτο φρονεῖν.

argumentum II. ex testimonio antiquitatis desumtum.

Supersunt autem ex seculo post N. C. secundo testimonia extra omnem dubitationis aleam posita. Primum quod adfero sit POLYCARPI *Smyrnensium Episcopi*, qui in *epistola ad Philippenses*, Pauli ad eosdem epistolae autoritatem defendit. Verba eius apud COTELERIVM (l) & STEPH. LE MOYNE (m) haec sunt: ταυτα ἀδελφοι ȣ̓κ ἐμαυτω ἐπιτρεψας, γραφω ὑμιν ἐπι της δικαιοσυνης, ἀλλ' ἐπει ὑμας προεπεκαλεσασθέ με, ȣ̓τε γαρ ἐγω, ȣ̓τε ἀλλος ὁμοιας ἐμοι δυναται και ἀκολȣθησαι τῇ σοφια τȣ̃ μακαριȣ και ἐνδοξȣ ΠΑΥΛΟΥ, ὁς γενομενος ἐν ὑμιν κατα προσωπον των τοτε ἀνθρωπων, ἐδιδαξεν ἀκριβῶς και βεβαιως τον περι ἀληθειας λογον, ὋΣ ΚΑΊ ἈΠΩΝ

Polycarpi testimonium.

 ὙΜΙΝ

(g) *in proleg. ad h. epist. in synopsi biblioth. exeget. in N. T.* vol. 3. (h) *in introd. in epist. ad Colos.* Sect. 2. pag. 5. (i) vide MAG. C. BEYERI *diss. 2dam historico-criticam de Ignatio veritatis confessore & martyre*, Lipsiae 1721. pag. 22 seq. Ven. D. BAVMGARTEN *hist. eccles.* part. 2. pag. 476. GROTII *annot. in Math.* 27, 5. Gu. BEVERIGII *codicem canonum ecclesiae primitivae* lib. 1. c. 7. sect. 7. IO. PEARSONII *vindic. epist. Ignatii parte 2da* c. 2. sect. 12. (k) *patr. apostol.* tom. 2. pag. 117. Antwerpiae 1698. (l) l. c. vol. 2. pag. 185. sect. 3. (m) *in variis sacris* Lugd. Batav. 1694. tom. 1. pag. 4.

'ΥΜΙΝ ἘΓΡΑΨΕΝ ἘΠΙΣΤΟΛΑΣ (n), εἰς ἃς ἐαν ἐγκυπ]ητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς την δοθεῖσαν ὑμιν πιςιν &c. h. e. ut antiqua huius epistolae versio latina transtulit: *haec autem fratres mei, non a me ipso imperans, scribo vobis de iustitia: sed quoniam vos provocastis. Propter quod neque ego neque similis alius mei poterit sequi sapientiam beati & gloriosi* PAVLI, *qui fuit apud vos, & visus est secundum faciem illis, qui tunc erant hominibus: qui docuit certissime atque firmissime verbum veritatis: qui & absens scripsit vobis epistolas, in quas si intueamini, aedificari potueritis in fide quae data est vobis* &c.

Sectione IX POLYCARPVS iterum de Paulo loquitur, dicens: *παρακαλω ἐν παντας ὑμας πειθαρχειν τω λόγω της δικαιοσυνης, και ἀσκεῖν πασαν ὑπομονην, ἣν ἴδετε κατ' ὀφθαλμȣς. ȣ μονον ἐν τοις μακαριοις Ιγνατιω, και Ζωσιμω, και Ρȣφω, ἀλλα και ἀλλοις τοις ἐξ ὑμων, και ἐν ἀυτω ΠΑΥΛΩ, και τοις λοιποις ἀποςολοις.* Respicit hic POLYCARPVS procul omni dubio ad cap. 2. com. 16. ubi de laboribus suis variisque molestiis Paulus dixerat.

Et tandem sect. XI antiqua huius epistolae versio haec nobis verba conservavit: *Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit* BEATVS PAVLVS, QVI ESTIS IN PRINCIPIO EPISTOLAE EIVS. *De vobis enim gloriatur in omnibus ecclesiis, quae Deum solae tunc cognoverant: nos autem nondum noveramus.*

Huius

(n) Ex voce ἐπιςολας, coniici nequit, plures epistolas a Paulo accepisse Philippenses, vel epistolam hanc in duas olim partes divisam, atque adeo pro duabus epistolis habitam fuisse, quod LE MOYNE *in observ. ad varia sacra pag.* 332 & 343. suspicatus est, refutatus a COTELERIO *l. c. in annot. ad h. l.* CEL. WOLFIO *in curis philol. parte 3. pag. 166.* & E. S. CYPRIANO *in annot. ad cap. 5. Hieronymi de viris illustribus apud* FABRICIVM *in biblioth. eccles. pag.* 37. coll. FABRICII *cod. apocr. nov. test.* p. 914. & *bibl. græc.* l. 4. c. 5. p. 156. & ELSNERI *comment. in epist. ad Philip.* pag. 94. Nec audiendus *Salmeron*, per epistolas Pauli ad Philippenses, de quibus Polycarpus, intelligens epistolam ad Philippenses & epistolas ad Thessalonicenses, qui cum essent in Macedonia sicut Philippenses, epistolae ad Thessalonicenses scriptae, iure censeri possent scriptae ad ipsos Philippenses. *Vide Le Moyne l. c.*

Huius epiſtolae autoritatem defenderunt VEN. D. BAVMGARTEN (o) C. BEYER (p) LE MOYNE (q) aliique. Ex veteribus autem IRENAEVS (r) EVSEBIVS (s) PHOTIVS (t) HIERONYMVS (u) & MAXIMVS (v).

Alterum teſtimonium eſt ipſius haeretici illius famoſi MARCIONIS, qui licet multos novi teſtamenti libros vel ex parte vel totos reiecerit, hanc tamen epiſtolam cum novem aliis Paulinis, retinuit; non Paulo ſolum illam tribuens, verum etiam autoritatem eius canonicam in dubium non revocans. conf. TERTVLLIANVS (w). EPIPHANIVS (x), ἐχει δε, inquit, και ἐπιϛολας παρ̕ ἀυτω τȣ ἁγιȣ ἀποϛολȣ δεκα, ἀις μοναις κεχρηται - - ἀι εισι, πρωτη μεν προς Γαλατας - - ΔΕΚΑΤΗ ΠΡΟΣ ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ. Vide etiam MILLIVM (y) aliosque. Marcionis teſtimonium.

§. 4. Reliqua eſt tertia argumentandi ratio, Paulo litteras de quibus diſputo, tribuendas eſſe. *Stylus* enim *ipſe prodit autorem epiſtolae.* Hoc patet ex convenientia ſcripturae generis huius epiſtolae, cum ſtylo phraſibusque aliarum epiſtolarum Pauli. Quam comparationem quisque diligens & attentus ſacrarum litterarum, & inprimis epiſtolarum Pauli lector, ipſe quidem nullo negotio poteſt inſtituere, ſed & nos illam tentabimus. Argumentum III. ex ſtylo.

Cap. I, 1. perſonas quarum in gratiam ſcribit, ſanctos vocat, qua compellatione etiam 1 Cor. 1, 2. utitur. Salutandi formula v. 2. Paulo admodum familiaris eſt conf. Epheſ. 1, 1. Rom. 1, 7. Gal. 1, 3. &c. Philippenſium ſemper ſe memorem eſſe v. 3. & alibi de aliis teſtatur eccleſiis Rom. 1, 9. 1 Cor. 1, 4. Epheſ. 1, 16. 2 Tim. 1, 3. 1 Theſ. 1, 2. Teſtem Deum adhibet v. 8. quod ſæpius facit Rom. 1, 9. 9, 1. 2 Cor. 1, 23. Gal. 1, 20. 1 Theſ. 2, 5. 1 Tim. 5, 21. 2 Tim. 4, 1. Tenerrimum affectum amoris in auditores lectoresve ſuos exprimit Notae ſtyli Pauli.

(o) l. c. pag. 506. 508. (p) l. c. pag. 66-69 ſeq. (q) in diſſert. *de Polycarpo*, quae reperitur in proleg. ad varia ſacra. (r) *lib. 3. adverſus haereſes* c. 3. (s) *hiſt. eccleſ.* lib. 4. c. 14. lib. 3. c. 36. (t) *bibliotheca cod.* 126. c. 13. (u) *de Polycarpo in catal. ſcript. eccleſ.* cap. 17. *apud Fabricium in bibl. eccleſ.* pag. 80. (v) *in ſcholiis ad epiſtolam 7. Dionyſii, quae eſt ad Polycarpum.* (w) lib. 5. *contra Marcionem* cap. 19. (x) *adverſus haereſes, haereſi* 42. (y) *in proleg. in N. T.* pag. 34.

mit v. 5. coll. 1 Thes. 5, 3. Rom. 1, 11. 2 Tim. 1, 4. 1 Thes. 2, 7. 8. 11. Rom. 12, 9. 2 Cor. 9, 14. Το δοκιμαζειν τα παντα & inprimis voluntatem divinam v. 10. saepius ab auditoribus suis postulat Rom. 12, 12. 1 Tim. 3, 10. 1 Thes. 3, 21. Fideles ut sint ειλικρινεις και απροσκοποι v. 10. & alibi hortatur 2 Cor. 1, 12. 1 Cor. 10, 32. 1 Thes. 5, 22. Rom. 14, 20. 21. Act. 24, 16. Vinculorum suorum v. 7. 13. saepe meminit. Fratres suos, fideles appellare consuevit v. 12. c. 3, 1. 13. 17. c. 4, 1. 8. Utitur in aliis epistolis admodum frequenter nomine Iesu, illumque & vita & morte sua celebrare studet; idem facit & testatur in hac epistola. c. 1, 20. 21. Desiderium suum moriendi saepe commemorat v. 21. 23. coll. 2 Cor. 5, 8. Rom. 7, 24. Ad vitam Christo dignam membra ecclesiae frequenter hortatur v. 25. coll. Ephes. 4, 1. Colos. 4, 10. 1 Thes. 2, 12. c. 4, 1. Fideles ut semper una voluntate inter se consentiant, multis locis autor illis suasorque est c. 1, 27. c. 2, 2-4. coll. Rom. 12, 10. 16. c. 15, 8. Ephes. 4, 2-4. 15. 17. 1 Cor. 1, 10. &c. Contra doctores iudaeorum morem sequentes, in epistolis suis strenue pugnat, utque fideles ab illis corruptoribus sedulo sibi caveant, admonet c. 3, 2. 3. Privilegia sua externa haud raro commemorare solitus, c. 3, 4-6. etiam enumerat. A ludis civitatum graeciae consuetis, maxime olympiacis, occasionem saepenumero arripit, officia christianorum animis inculcandi; idem hic observat c. 3, 12-14. Nonnunquam etiam celebratione nominis Dei epistolis suis coronidem imponit 2 Tim. 4, 18. quod & in nostra epistola factum esse legimus. c. 4, 20. In fine literarum suarum salutem dicere nomine amicorum fratribus notis, solitus est, sic & in nostra c. 4, 21. 22. omnibus sanctis salutem impertitur, quorum & nomine ac iussu Colossenses salvere iubet.

Quod si quis tria haec argumenta coniunctim animo perpendit, non recusabit sententiae nostrae accedere, a Paulo hanc epistolam esse exaratam.

Observatio. §. 5. Antequam autem ad sequentem sectionem progredior, quaedam de Paulo nostro observanda sunt, lucem huic epistolae quodammodo aspergentia. Actum agerem, vitae Pauli narrationem aggressurus, id enim multi magno studio multaque eru-

ditione

ditione praestiterunt (z). Sufficit igitur quaedam saltem annotare, quae ad duo capita commode rediguntur.

DePaulo nondum in poenitentiam converso.

§. 6. *Primum* de *Paulo nondum in poenitentiam converso*, dicendum, nempe

I. Litteris elegantioribus imbutus fuit.

I. *litteris elegantioribus illum fuisse imbutum*, quibus tum iuvenes instruebantur (conf. Act. 22, 3. sq. c. 17, 18. 1 Cor. 15, 23. Tit. 1, 12. Act. 17, 28.) quae doctrina magno ipsi usui fuit, muriusque apostolicum eximie levavit. Sive enim inter Iudaeos, sive inter gentiles, sive inter doctos, sive inter rudiores esset, sive denique in foro caussam suam diceret, semper omnes tum loci, tum temporis, aliasve circumstantias in rem suam convertere scivit, & res suas caute gessit, propagationi atque incremento regni Christi egregie inserviens. Sed hac de eruditione Pauli alii disputarunt, quorum plurimos citatos lege a WOLFIO (a) HOFMANNO (b) RAMBACHIO l. c. & LILIENTHAL (c), adde *Mag.* C. E. SCHMIDII *diss. philol. de promotione academica Christo eiusque apostolis perperam attributa Lipsiae 1740. pag. 31-37.*

Certamen eius pro aris.

II. *Acerrimum tenacemque iudaicae religionis fuisse propugnatorem* Actor. 8, 43. quod ipse in hac epistola testatur c. 3, 4-6. ad quod pro aris certamen saepius in defensionibus & scriptis suis provocavit, ut eo magis fidem auditoribus lectoribusque suis faceret, se non ex ignorantia religionis iudaicae, vel quod ipse privilegiis eius caruerit, illam iam omnibus dissuadere, Christique doctrinam toti terrarum orbi commendare, sed de defectibus illius se convictum, omnibusque propterea autorem suasoremque esse, ne in posterum religioni huic a Christo abrogatae, essent dediti.

Certe

(z) quos si scire cupis, adeas quaeso FABRICIUM *in cod. apocryph.* N. T. parte 2. p. 793. parte 3. pag. 631. *in biblioth. graec.* l. 4. pag. 151. *in luce salutari evangelii* p. 63. WOLFIUM *in curis philol.* tom. 2. pag. 1. seq. nec non b. PRITII *introductionem in lect. N. T.* & quidem edit. cl. HOFMANNI pag. 239-262. ubi etiam vita Pauli exhibetur pag. 239-262. b. I. I. RAMBACHII *instit. herm. sacrae* pag. 510. et. *introd. in epist. ad Romanos* pag. 13. 14. Lilienthals biblischen *archivarium* pag. 422. & G. F. GUDII *biblioth. dissert. & observat.* p. 38. (a) *tom. 2do cur. philol.* pag. 3. (b) *apud Pritium* pag. 242. (c) *l. c.* pag. 422. 423.

Cap. III, 4-6 explicantur.

Certe hac in re Paulus testis est omni fide dignissimus & a partium studio longe remotus. Quis melius de praestantia religionis Iudaeorum iudicare poterat, quam ipse Paulus, qui cap. 3, 4-6. septem praerogativas digitis quasi computare, in illisque gloriari poterat? quam tamen gloriam inanem putabat, meliorem in Christo nactus (d).

Die octavo circumcisus est.

Septem haec quae apostolus iactare potuisset, erant sequentia 1) *circumcisio die octavo facta.* Quanquam enim diem hunc Deus praeceperit (e), & Iudaei hoc tempus ita accurate observarent, ut licet cum sabbatho coincideret, nihilo tamen minus eo infantes circumciderentur, unde illud: *circumcisio pellit sabbathum:* ob impedimenta tamen varia nonnunquam differebatur. v. c. si puer circumcidendus aegrotus erat, exspectabant donec convaluerit (f). Porro, si infans die octavo viridis aut ruber appareat, exspectant donec colorem acquisiverit (g). Praeterea si mulier primogenitum & secundum filium die octava circumciderit, & ambo mortui sint, tertium die octava circumcidere non debet, sed exspectabit, usque dum vires sufficientes acquisiverit ad dolores perferendos (h). Ne dicam de proselytis adultioribus, qui tempus hocce statutum nullo modo observare poterant. Quapropter Iudaei iusto tempore circumcisi meliores aliis se putabant (i). 2) *quod ex genere Israelis natus sit*, cuius posteros sibi Deus prae caeteris mundi nationibus in peculium selegerat; neque igitur proselytus, neque Idumaeus, qui sub Hyrcano victi, ad suscipiendam circumcisionem & religionem iudaicam coacti sunt, atque ita in Iudaeorum & sacra & terras pervenerunt; neque Ismaelita & Sabaeus, qui etiam circumcidebantur (k). Quanti vero hoc privilegium a Iudaeis aestimatum sit,

Ex genere Israelis natus.

(d) coll. Galat. 6, 13. (e) Genes. 17, 12. (f) BUXTORFII *synag. Iud.* c. 4. p. m. 106. (g) conf. I. H. OTTONIS *lexicon rabbinico-philol.* p. m. 113. (h) BUXTORF & OTTO l. c. (i) conf. I. LENFANT *N T. ad* h. l. & eiusdem gründliche Vorbereitung zur Lesung des N. T. Leipzig 1745. pag. 204. 205. (k) conf. IOSEPHUS l. 13. *antiq.* c. 9. HUMPHR. PRIDEAUX connexio p. 2. lib. 5. PRITIUS l. c. pag. 416. I. LENFANT l. c. pag. 24. GOMARUS *apud Polum in synopsi* tom. 5. pag. 824. DELANY Untersuchung der Offenbarung parte 2. pag. 156. GROTIUS *in h. l.* BRAUNII

ſit, apparebit ex Rom. 9, 4. 5. 3. 2. Pſ. 147, 19. 20. conf. MEVSCHENII N. T. ex Talmude illuſtrato p. 176. 3) *ex tribu Beniamin*, cuius rei Paulus non eam ob cauſſam ſolum meminit, ut genealogiam ſuam exhiberet, ſed etiam quia tribus haec praeeminentiam prae caeteris ſibi vindicavit; tum quia Beniamin a vera & maxime dilecta Iacobi uxore natus, & a Iacobo in primis amabatur; tum quod primus Iſraelitarum rex Saulus ex tribu Beniamin fuit; tum ob conſtantiam huius tribus in vera religione una cum tribu Iuda, cum qua etiam e captivitate babylonica domum reverſa eſt (l); tum denique ob urbem Hieroſolymam, quae partim in tribu Beniamin, partim in tribu Iuda ſita erat (m). 4) *Ebraeus ex ebraeis* h. e. cuius & ambo parentes, & omnes maiores haud interrupta ſerie ebraei fuerunt. WITSIVS quidem (n) conſentiente SAL. VAN TIL (o) non tam genus hic intelligendum eſſe arbitratur, (hoc enim ſatis indicatum eſſe videri in antecedentibus) quam diſtinctionem eorum qui hebraea lingua in ſacris utebantur, ab iis qui dicuntur ἑλλενιςαι &c. Sed noſtra interpretatio veriſimilior (p). 5) *Secundum legem Phariſaeus*. Verbum νομος vel ſectam hic ſignificat, vel rationem ſingularem explicandae legis moſaicae (q). Phariſaeos magno apud populum in honore exſtitiſſe, quisque non ignorat, inprimis quia a communi vitae conſuetudine ſeparati erant, unde etiam nomen ſortiti ſunt (r). 6) *Secundum Zelum perſequens eccleſiam*. Verba κατα ζηλον vel ita reddi poſſunt: ex coeco impetu & furore (s), vel, magno zelo & furore perſequutus ſum eccleſiam,

Ex tribu Beniamin.

Ebraeus ex ebraeis

Phariſaeus

Perſequens eccleſiam

ſelecta ſacra lib. 1. c. 1. §. 97. BOCHARTVS lib. 2. Geogr. Sacr. c. 26. p. 132. (l) 1 Reg. 12, 19-21. Eſra 1, 5. &c. (m) Nehem. 11, 4. 7. Ioſ. 1, 21 coll. teſtimoniis Iudaeorum citatis a RELANDO *in antiq. ebr.* pag. 7-9. edit. Buddei 1724. cj. *Palaeſtina* pag. 839. & a IO. HENR. OTTONE *in lex. rabbinico-phil.* p. m. 263. (n) in *meletem. Leidenſ.* p. 7. (o) in *comment. in 4 Pauli epiſtolas* pag. 295. (p) ~~conf.~~ *Poli ſynopſis critic.* vol. 5. pag. 824. WOLFIVS l. c. tom. 3. pag. 239. BRAVNIVS *in ſelectis ſacris* lib. 1. c. 1. §. 15. GOODWINI *Moſes & Aaron* pag. 57. edit. Hotting. & pag. 15 ed. Reizii. & ELSNERI comment. pag. 779. 780. (q) vide WITSIVM l. c. pag. 14. coll. WOLFIO l. c. (r) a פרש *ſeparavit* conf. Matth. 23, 5. 6. 7. Luc. 18, 11. Act. 23, 6. 22, 3. 26, 4. (s) Rom. 4, 19. Gal. 1, 13. 14.

omnes hac in re superans. Id argumento esse poterat, quanti Paulus olim religionem iudaicam fecerat. 7) Ultimum denique est: κατα δικαιοσυνην την εν νομω γενομενος ἀμεμπτος. Δικαιοσυνη εκ νομȣ indicat legitimam conditionem & actiones ex observatione legis ceremonialis enatas (t). Inde factum, quod Paulus nullius transgressionis legis mosaicae ab hominibus redargui potuerit. Nihilo tamen secius hanc iustitiam una cum omnibus hisce privilegiis flocci pendit. Sed redeo ad id, unde aberravit oratio.

Inculpabilis coram hominibus.

De Paulo post conversionem.

§. 7. Alterum quod notatu dignum est, spectat *statum Pauli post conversionem*, de quo quatuor potissimum momenta consideranda veniunt.

Apostolus fuit.

I. *Quod Dominus illum elegerit apostolum*, ut colligeret ex hominibus ecclesiam Christo nomen dantem. Qua propter etiam σκευος ἐκλογης τω χριςω dicitur (u), qui seperaverat illum ab utero matris suae, ut annunciaret evangelium de Iesu omnium redemtore exoptatissimo (w); & a *Patribus* κλητος ἀποςολος, item μεγας ἀποςολος per excellentiam, salutatur.

Gentium inprimis.

II. Inprimis *gentium apostolus* fuit, ex pacto cum caeteris apostolis & praecipue cum Petro inito (x).

In Graecica evangelium annunciacit.

III. In *Graecia evangelii praeconium fecit*, & ecclesias ibidem fundavit, initium faciens PHILIPPIS. *Ecclesiae enim Philippenses & Corinthiacae*, inquit TERTVLLIANVS (y) & AVGVSTINVS (z) *erant ex numero apostolicarum, quae ab apostolis fuerunt conditae, quae aliquem ex apostolis autorem suum proferunt, quae apostolorum alumnae exstiterunt: quaeque apostolicas epistolas accipere meruerunt.* Philippus vero apostolus bis saltem antequam hanc epistolam scripsit, profectus est. Prima vice factum, cum iter secundum

(t) Matth. 5, 20. Rom. 1, 14. Luc. 18, 11. 12. coll. BRAVNII *selectis sacris* lib. 1. c. 1. §. 98. (u) Actor. 9, 15. 16. (w) Gal. 1, 15. 16. conf. 1 Cor. 9, 1. f. 15, 9. 2 Cor. 11, 5. (x) Actor. 9, 15. c. 13, 2. 22, 21. Rom, 2, 13. Gal. 2, 9. Ephes. 3, 8. conf. diss. sub praesidio S. V. D. BAVMGARTEN 1745 habita, *de Paulo gentium apostolo contra Thomam Morganum.* (y) *de virginibus velandis* c. 2. *de praescriptione haereticorum* c. 32. l. 4. *adversus Marcionem* c. 5. (z) *de doctrina Christiana* lib. 2. c. 8. *de libris canonicis.*

cundum apostolicum faceret. Altera vero, in quarto itinere apostolico Philippis dies azymorum egit (a). De prima in hac urbe commoratione Actor. 16, 12 seq. quaedam narrantur, quae paucis transscribenda sunt ab aliis satis illustrata. *Troade* enim commorans, visionem aliquam habuit, a viro quodam Macedone monitus, ut in Macedoniam proficisceretur, illamque voce evangelii repleret. Cui nutui divino obtemperans, *Samothracen*, *Napolin* & post *Philippos* delatus est cum Socio *Sila* seu *Luca* (b). *Res gestae* Pauli *hoc loco* haec sunt 1) *die sabbathi in proseucham Iudaeorum* se contulit, ubi loquebatur cum mulieribus ibi confluentibus. Sed hac de *proseucha* infra sect. 3. disputabimus. 2) Inter has erat quaedam nomine LYDIA *purpuraria*, quam Paulus domino suo lucratus est, & cum tota familia baptizavit (c). Acta Pauli Philippensia.

Accidit autem 3) quod quoties Paulus in proseucham Iudaeorum se conferret, *ancilla quaedam mancipium spiritu pythonico correpta*, Paulum clamore sequeretur, multis illum laudibus efferens. Cum vero eandem cantilenam saepius caneret, Paulus graviter hoc ferens iussit spiritum illum exire. Sed molestias sibi eo contrahebat & incommoda; coram iudicibus enim a domino huius servae sistebatur, & virgis caesus in carcerem coniiciebatur (d). 4) *Deus* vero *terram commovens*, vincula vinctorum solvebat omnium, ob quam rem *custos carceris* attonitus se ipsum quidem voluit interimere, a Paulo autem ut sibi ipsi parceret admonitus, ad Christum se convertit, & baptizatus est. Nonnullos scriptores graecos hunc carceris custodem STEPHANAM appellasse, observat VEN. D. BAVMGARTEN l. c. pag. 318. conf. modo laudatum WIT-

(a) Act. 20, 1. 26. (b) Silam enim & Lucam unam eandemque personam esse demonstravit VEN. D. HAVBERVS in Betrachtungen über einige der ersten Gläubigen und Lehrer der cristlichen Kirche. Lemgo 1741. pag. 61-74. (c) vide WITSIVM l. c. pag. 71. 72. WOLFIVM l. c. L. MICH. HOERNLEIN disp. *de Lydia conversa* Lips. 1699. DEYLINGII observ. sacr. p. 2. pag. 352. 10. BIEL *in biblioth. Bremensi class.* II. p. 48. seq. coll. cl. VI. p. 660. & I. G. ALTMAN ib. class. V. p. 610. & inprimis VEN. WALCHIVM loco statim citando pag. 19-51. ac cel. ELSNERVM l. c. pag. 23 seq. (d) conf. celeb. WALCHIVS l. c. pag. 51-75. ELSNERVS l. c. pag. 37. seq. WOLFIVS l. c. pag. 1241. & 1 Thess. 2, 2.

SIVM (e) inprimis VEN. D. WALCHIVM *de actis Pauli Philippensibus ex Lucae commentariis descriptis atque illustratis* Ienae 1726. pl. 13 ½ & celeb. ELSNERVS in explicata epistola ad Philippenses pag. 12-90.

In vincula coniectus est & Romam delatus.

IV. Restat denique ut observetur, *Paulum ob annunciationem evangelii in vincula coniectum esse*, quod *Hierosolymae* factum, ubi in templo capitur (f). Postridie vero ob insidias ipsi structas, cum comitatu satellitum *Caesaream* ad *Felicem* praesidem provinciae mittitur (g) ubi per biennium in vinculis tenetur. Cum vero Caesarem appellaret, iter eius Romam decernitur, quorsum post molestam valde & periculosam navigationem venit, ubi multas, & inter illas hanc etiam scripsit epistolam. Haec de autore sufficiunt.



SECTIO II.

DE AVTORITATE HVIVS EPISTOLAE CANONICA.

§. I.

Epistolam semper fuisse in canone probatur.

Epistola haec semper fuit in canone, nec a primordiis ecclesiae christianae divinam eius autoritatem in dubium vocare quis ausus est. Testis est supra laudatus POLYCARPVS, huius epistolae mentionem faciens, IGNATIVS (h), TERTVLLIANVS (i) qui allegans authenticas apostolorum literas, epistolae ad Philippenses etiam meminit, ORIGENES de quatuordecim Pauli epistolis loquitur (k). Porro ATHANASIVS (l) verbis: εἶτα πρὸς ΦΙΛΙΠ-

(e) l. c. pag. 72-75. coll. WOLFIO l. c. pag. 1241 seq. (f) Actor. 21, 26-33. (g) Actor. 23, 11-35. (h) *in epistola ad Philadelphenos* §. 7. p. 63. (i) *lib. 5. contra Marsionem* c. 19. & de *praescript haeretic.* tom. 1. pag. 245. (k) *in exposit. in Matthaeum*, apud Eusebium hist. eccles. l. 6. c. 25. conf. ei. *homilia 7. in Iosuam*, de qua HVETIVS *in origenianis* l. 3. c. 2. sect. 3. §. 4. p. 246. (l) *in fragmento epistolae 39.* sive *festalis* tom. 2.

ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ, & idem alio loco (m) *εκτη προς* ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ. Testis est SYNODVS LAODICENA anno Christi 364. habita, canone 59 vel 60, *επιςολης προς* ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ *μιας* in recensione librorum canonicorum, mentionem faciens. Idem testatur GREGORIVS NAGIANZENVS (n) & AMPHILOCHIVS, verbis

Την προς Γαλατας τε, και την προς Εφεσιυς, μεθ' ήν
Τοις εν ΦΙΛΙΠΠΟΙΣ. (n) - - -

Testes sunt denique CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS (p), PHILASTRIVS (q), HIERONYMVS (r) verbis: *Paulus scripsit ad* PHILIPPENSES *epistolam unam*, RVFFINVS (s), CONCILIVM CARTHAGINIENSE TERTIVM *can. 12.* AVGVSTINVS (t), EVSEBIVS (v) dicens: *τυ δε Παυλυ προδηλοι και σαφεις άι δεκατεσσαρες*; INNOCENTIVS (W), CASSIODORVS romanus senator (x), IVNILIVS (y), LEONTIVS Byzantius (z), ISIDORVS HISPALENSIS (a), HONORIVS Augustodunensis (b) aliique.

§. 2. Haec testimonia eo non debilitantur, quod in canone veteri scripturarum, quem exhibet COTELERIVS (c) epistola haec omissa. Id enim ob totidem versus cum sequente ad Colossenses factum, quae 251 *ςοιχυς* numeravit, quot & haec, ut bene observat COTELERIVS. Ita & alii V. & N. T. libri v. c. epistolae ad Thessalonicenses in hoc catalogo omissae sunt. Confirmatur.

§. 3. Adsunt praeterea *indicia interna*, quae huius auctoritatis canonicae fidem faciunt. Caret epistola nec *veritate historica* nec *dogmatica*. Fuisse urbem aliquam in Graecia Philippi vocatam, sectio 3. demonstrabit. Timotheum socium Pauli in itineribus Indicia interna auctoritatis canonicae.

oper. p. 38. (m) *in synopsi sacrae scripturae.* (n) *carmine 33. περι των γνησιων βιβλιων της θεοπνευςυ γραφης* edit. Paris. an. 1630. tom. 2. p. 98. (o) *in Iambis ad Seleucum*, in oper. eius Parisiis 1694. f pag. 132. (p) *in catech. 14. illuminatorum.* (q) *de haeres.* c. 87. *in catalogo haeresium* Helmst. 1686. 4. pag. 39. (r) cap. 5. *de viris illustribus* apud I. A. FABRICIVM *in bibl. eccles.* pag. 35. (s) *in exposit. symb. apostolici*, in operibus eius Parisiis 1580. f. pag. 189. (t) *de doctrina christiana* lib. 2. c. 8. *de libris canonicis.* (v) *lib. 3. hist. eccles.* c. 23. (w) *in epistola ad Exuperium* a DIONYSIO EXIGVO inserta decretalibus. (x) *de instit. div. liter.* cap. 14. (y) *de partibus divinae legis* lib. 1. cap. 3. (z) *schol. de sectis action.* II. (a) *de ecclesiast. officiis* lib. 1. c. 12. (b) *de script. eccles.* lib. 1. ap. *Fabricium* l. c. (c) tom. 1. p. 8. *patr. apostol.*

itineribus eius & praedicatione evangelii fuisse, constat ex Actor. 16, 1-13. 17, 14. 15. 18. 5. 20, 4. 1 Thes. 3, 2. 6. Ebr. 13, 23. 1 Cor. 16, 10. ep. 1. & 2 ad Timotheum (*) Paulum Romae in captivitate fuisse, supra sectione 1. ostendi. Epaphroditus quis fuerit, infra sect. 7. inquiremus. Credenda & agenda optime in literis hisce connectuntur, & praecipue doctrina de Christo vera docetur; nec efficacia divina & interno spiritus sancti testimonio, sunt destitutae.

Characteres externi.

§. 4. Praeterea nec *externi characteres* desunt. Paulus indubius huius epistolae auctor est. Hic licet duodecim illis non annumeratus fuerit, qui Christum perpetuo comitati sunt, resque ipsius gestas oculis viderunt suis, attamen non a testibus his oculatis solum de veritate historiae Iesu Christi certior fieri potuit, verum etiam revelationes a Christo habuit, a quo & missus est ad annunciandum evangelium, & miraculis confirmatus (d). Quis ergo testis huius testimonio fidem negabit?

Continuatio.

§. 5. Divinae denique providentiae debemus, quod haec epistola integra ad nos & incorrupta venerit. Nihil etiam in illa deprehenditur, quod temporibus illis quibus scriptam esse affirmatur, vel genio apostoli Pauli repugnet. Refertur igitur iure suo ad divinum & credendorum & agendorum principiu.



SECTIO III.

DE VRBE PHILIPPENSIVM.

§. 1.

Argumentum huius sectionis.

Sequitur ut de hominibus illis dicam, ad quos data & missa est haec epistola, qui secundum v. 1. cap. 1. οἱ ὄντες ἐν ΦΙΛΙΠΠΟΙΣ fuerunt. Idem apparet ex subscriptione: πρὸς Φιλιππησίους ἐγράφη &c. quod & ὑπογραφαι versionis syriacae, arabicae & aethiopicae

(*) conf. de Timotheo BOLLANDVS in actis sanctor. 24. Ian. WITSIVS Miscell. tom. 2. p. 558. van ALPHEN proleg. in epist. 2. ad Corinth. p. 23.

(d) conf. 2 Cor. 11, 3. 12, 11.

aethiopicae testantur. Consentiunt praeterea scriptores antiquissimi ex parte in sequentibus citandi, ita ut nullum hac de re superfit dubium. Operae vero pretium erit, ut tum *statum externum* tum *internum* huius urbis consideremus.

§. 2. Quod si igitur *primo de externo statu* quaeritur, observandum est, de *nomine* urbis LE MOYNE (e) disseruisse; sitam vero fuisse in *Macedonia superiore*, Edonum tractu, & quidem prope fines Thraciae, haud procul a fluvio Strymone, ad quem olim Edonii incoluerunt, & de quo SCYLAX CARYANDENSIS (f) μετα δε Μακεδονιαν Στρυμων ποταμος, ὅτος ὁριζει Μακεδονιαν και θρακην. PLINIVS (g) quoque testis est, hunc fluvium olim limitem fuisse inter Macedoniam & Thraciam. Philippi vero non in confinio Thraciae solum sita fuit, sed & olim huic regioni annumerata. Διηκει enim inquit SCYLAX, ἡ θρακη ἀπο Στρυμωνος ποταμȣ μεχρι Ιςρȣ ποταμȣ τȣ εν τω Ευξινω Ποντω. Addo verba STRABONIS (h): *ab initio Macedonicarum & Pannonicarum gentium usque ad Strymonem fluvium, Macedones habitant, ac Paeones seu Pannonici & quidem montanorum Thracum. Quae ulteriore iam Strymone sunt, usque ad Aemum & Ponti fauces omnia Thracum sunt &c.* Unde etiam factum est, quod nonnulli scriptores antiqui eam urbem Thraciae vocarint, e. g. PLINIVS (i) de Thracia loquens, *intus*, inquit, *Philippi Colonia.* Imposita vero fuit monti quodam, qui inter hanc urbem & Neapolim erat, & non procul ab utroque oppido Pangaeo monti coniungebatur. Ita enim DIO CASSIVS (k) Philippi παρα τε τω Παγγαιω και παρα τω Συμβολω κειται (l). Et LVCANUS (m)

- - video Pangaea nivosis
Cana iugis, latosque Haemi sub rupe PHILIPPOS. APPIANVS (n) ἐςι τε, inquit, ἡ πολις επι λοφȣ περικρημνȣ, τοσαυτη το μεγεθος,

De situ urbis.

(e) *in observ. ad varia sacra* pag. 86. (f) *in Periplo maris mediterranei, de Macedonia* pag. 63. ap. IAC. GRONOVIVM *in geographicis antiquis.* Lugd. Batav. 1697. (g) lib. 4. c. 10. (h) lib. 7. *geogr.* (i) *hist. mundi* l. 4. c. 7. *de Thracia.* (k) lib. 47. pag. 347. (l) συμβολον autem Dioni ibidem est χωριον tractus & ὁρος mons. CELLARII *geogr. antiq.* p. 1296. (m) lib. 1. c. 629. (n) *de bello civ.* l. 4.

μεγεθος, ὁσον εςι τȣ λοφȣ τȣ ευρος h. e. *Sita est urbs in praerupto tumulo, totam eius latitudinem occupans* &c. De distantia huius urbis ab aliis vide CELLARIVM, (o) APPIANVM ALEXANDRINVM, (p) SAL. VAN TIL (q) & M. A. BAVDRAND (r) observantem vix mill. pass. distare ab ora maris Aegei in septentrionem, & 33. ab Amphipoli. Situs civitatis apud PTOLEMAEVM (s) collocatur ad longitudinem 50° - 45' latitudinem vero 41° - 45' apud Nic. SANSON autem (t) ad latit. 42° - 15'. & longit. 50° - 30'.

Num fuerit urbs primaria Macedoniae? §. 2. Multum inter eruditos disputatum est, utrum Philippi *urbs praecipua Macedoniae* fuerit, nec ne? Quidam v. c. GROTIVS, GOMARVS, RVMPAEVS, C. STARCKIVS &c. prius defenderunt. Provocant ad Actor. 16, 12. εκειθεν τε εις Φιλιππȣς, ἡτις ἐςι ΠΡΩΤΗ της μεριδος της Μακεδονιας, ubi verbum πρωτη de dignitate intelligunt. Consentit versio Syriaca: דהי הי רישא דמקדוניא *quae est primaria Macedoniae.* Alii verbum πρωτη cum verbo κολωνια coniungendum esse volunt. Ex cl. ELSNERI sententia urbem claram vel honoratam significare potest, siquidem plures civitates clarae vel honoratae, *primas* se vocarunt. Alii vero rectius de situ verbum explicant, & quidem ut ex ZANCHII sententia prima cis fluvium Strymonem sit, qui Macedoniam a Thracia dividebat, vel CELLARIO & VEN. WALCHIO autoribus, πρωτη partis illius trans Strymonem, adiectae a Philippo ad veterem Macedoniam; vel ex mente SAL VAN TIL l. c. qui cum ZANCHIO consentire videtur prima a Thracia incipiendo, quae olim Thraciae fuerat, nunc primum Macedoniae oppidum habitum fuit, vel denique si RAPHELII verbis utimur, πρωτη dicta, quia advenienti apostolo Paulo prima erat. Id vero fuit *Neapolis.* Nam cum haec epistola scriberetur, *Thessalonica totius Macedoniae* erat metropolis (*). Sequenti quidem tempore divisa ecclesiastice hac prima Macedonia in duas, evasere Philippi in metropolin alteram saltem honorariam, ut satis

(o) l. c. pag. 1055. (p) l. c. (q) l. c. pag. 249. (r) *in geographia* tom. 2. Parisiis 1681. pag. 104. (s) *in geogr.* Basil. 1540. pag. 51. (t) *in indice geographico* pag. 86. in *ei. geographia sacra* Amstel. 1704. fol. (*) vide SPANHEMIVS *de usu numismatum* pag. 606. & *ad Iuliani Caesaris* p. 220. 221.

satis discitur ex LIBERATO *in breviario lib. 5.* Etenim apud eum FLAVIANVS *Philippensis archiepiscopus* dicitur, quem BARONIVS *ad an. 430. num. 27.* Philippensi ecclesiae praefuisse scribit. Vide SPANHEMII *tom. 1. oper. pag. 115.* BEVERIGIVM ad canon. eccles. prim. p. 96. ELSNERVM l. c. pag 100. CAROLI A S. PAVLO *geographiam sacram*, qui pag. 188. 189. de recentiori huius urbis praerogativa ecclesiastica disseruit. Alii denique volunt, Philippos non quidem Macedoniae totius fuissemetropolin, attamen *superioris partis illius terrae, quae est interfluvium Strymonem & Nessum* v. c. TILLIVS l. c. pag. 250. Id vero *Amphipolis* fuit, oppidum ad flumen Strymonem, quo utrinque alluitur, unde & nomen (u), quod oppidum a Christianis olim Christipolis, a Turcis autem Emboli vocatum est.

§. 4. DIODORVS SICVLVS lib. 16, apud *Stephanum* & *Volateranum* l. 8. ARTEMIDORVS, & ex recentioribus P. MELANCHTON *in oratione de Misnia,* testantur, *κρηνιδες fontanopolim*, primum huius urbis nomen fuisse, a *κρηνις, ιδος* fonticulus, ob fontes uberrimos circa collem, cui imposita fuit, promanantes. Ita enim STRABO (w) *ὁτι ἡ νυν* ΦΙΛΙΠΠΟΙ *πολις* ΚΡΗΝΙΔΕΣ *εκαλȣ̃ντο, το παλαιον.* Posthaec *Dathos* vel *Thasus* nominata est, quia Thasii, incolae insulae vicinae, ob aurifodinas marmoremque clarae, illam aedificarunt. Ita enim PTOLEMAEVS in geographia (x), *Philippi Datos olim Appiano dicta, Crenidae Diodoro.* Scylax iterum: Νεαπολις κατα ταυτην, Δατον πολις ἑλληνις, ἡν ῴκισεν Καλλιςρατος αθηναιος, και ποταμος Νεςος &c. Ad quae verba Stephanus & Vossius observant: Δατον πολις θρακης. Ηροδοτος ἐνvατῃ. Ἡδονων δε τȣτο φασιν ὁι οικȣντες Δατηνιοι. *Sic namque legendus est ille locus. Eusthatius in commentariis ad Dionysium, hanc Thasiorum facit coloniam. Quem consule* (y).

Crenides olim dicta.

& Dathos.

C §. 5.

(u) *Plin.* l. 4. c. 10 & 23. Ven. BAVMGARTEN *hist. eccles.* p. 1. pag. 318. & EZECH. SPANHEMIVS de *praest. & usu numism.* vol. 1. p. 631. qui numisma in medium profert Amphipoli cusum, hac inscriptione: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. (w) *in excerptis ex libri 7. fine geogr.* Amstel. 1707. pag. 511. (x) Basil. 1540. fol. pag. 51. col. 2. (y) apud *Gronovium* l. c.

Philippus de suo nomine illam vocavit.

§. 5. Cum vero Philippus rex Macedonum totam Macedoniam sub potestatem subiungeret, hanc etiam urbem ante biennium *a Thasiis exstructam*, occupans instauravit, amplificavit, & *de suo nomine Philippos* vocavit quod factum est anno ante N. C. 358. (*). Ita enim APPIANVS l. c. *φιλιππος δε ὡς ευφυες επι θρακας χωριον ὠχυρωσε τε και ἀφ᾽ ἑαυτȣ ΦΙΛΙΠΠΟΥΣ προσειπον* h. e. hunc locum, ut opportunum bello adversus Thracas gerendo, Philippus muniit, & appellavit de suo nomine. PAVSANIAS (z) *Πατρις δε ἦν ἀυτω* scil. Lampo *νεωτατη των εν Μακεδονια πολεων, καλȣμενη δε απο τȣ οικιςȣ Φιλιππȣ τȣ Αμιντȣ.* Prolixius hac de urbe scripsit DIODORVS SICVLVS (a) *ἁμα* enim inquit, *δε τȣτοις πραττομενοις, θασιοι μεν ὠκεσεν τας ονομαζομενας* ΚΡΗΝΙΔΑΣ, *ἁς ὑςερον ὁ βασιλευς ἀφ᾽ ἑαυτȣ ὠνομασας* ΦΙΛΙΠΠΟΥΣ, *επληρωσεν οικητορων.* Deinde pergit: *μετα δε ταυτα παρελθον* (scil. Philippus) *επι πολιν κρηνιδας, ταυτην μεν επαυξησας οικητορων πληθει, μετωνομασε Φιλιππος, ἀφ᾽ ἑαυτȣ προσαγορευσας. Τα δε κατα την χωραν χρυσεα μεταλλα πολυντελως οντα λιτα και αδοξα ταις κατασκευαις επι τοσȣτον ἠυξησεν ὡςε δυνασθαι φερειν ἀυτω προσοδον πλειον ἠ ταλαντων χιλειν. Ει δε τȣτων ταχυ σωρευσας πλȣτον, αἐι μαλλον δια την ευποριαν των χρηματων εις ὑπεροχην μεγαλης ἠγαγε την μακεδονικην βασιλειαν. Νομισμα γαρ χρυσȣν κοψας προσαγορευθεν απ᾽ εκεινȣ Φιλιππειον, μισθοφορων τε δυναμιν αξιολογον συνηςησατο, και των ἑλληνων πολλȣς δια τȣτȣ προπετρεψατο προδοτας γενεσθαι των πατριδων.* PTOLEMAEI & STRABONIS testimonia

Nummi Philippici.

supra citata sunt. *Numismatum* autem *Philippi imagine insignium*, saepe in scriptoribus, inprimis poetis, mentio fit. Ita enim HORATIVS (b)

> Gratus Alexandro Regi magno fuit ille
> Choerilus, in cultis qui versibus & male natis
> Rettulit acceptos, *regale numisma Philippos.*

PLAN-

(*) LENGLET DU FRESNOY tablettes chronologiques a Paris 1744. tom. 1. pag. 70. (z) *in Eliacis* lib. 6. c. 4. pag. 462. *descriptionis graeciae* Lipsiae 1696. (a) lib. 16. c. 3 seq. (b) lib. 2. epistol. 1. v. 232.

PLAVTVS (c)

- - sunt tibi intus
Trecenti *nummi Philippi.*

LIVIVS (d) Philippeos aureos nummos CXL millia triumpho asiatico praelatos esse refert (e).

§. 6. Ab hoc autem tempore urbs Philippi Macedoniae adiecta fuit. Ita enim STRABO (f) *τινες δε και το απο ςρυμονος μεχρι Νεσȣ τη Μακεδονια προσνεμȣσιν. ἐπειδὴ Φιλιππος εσπȣδασε διαφεροντως περι ταυτα τα χωρια, ὡστ' ἐξεδιωσασθαι, και συνεςησατο προσοδȣς μεγιςας, εκ των μεταλλων και της αλλης ευφυιας των τοπων* h. e. *quidam ea etiam quae a Strymone ad Nessum usque sunt, Macedoniae attribuunt. Nam Philippus plurimum in ea loca contulit operae, ut suae ea ditionis faceret, reditusque constituit amplissimos, e metallis aliisque eorum locorum commoditatibus.* Quod etiam exinde apparet, quod quoties scriptores rerum romanarum proelii inter Brutum & Cassium ex una, & Antonium ex altera parte, iuxta Philippos facti, mentionem faciunt, semper in Macedonia illud commissum esse, affirmant. Ita enim AVRELIVS VICTOR: Caius Cassius magno exercitu comparato in Macedonia Bruto coniunctus, in campis philippicis ab Antonio victus &c. VELLEIVS PATERCVLVS (g) Tum Caesar & Antonius transiecerunt exercitus in Macedoniam, & apud urbem Philippos cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Accedit testimonium CHRYSOSTOMI: *ὁι Φιλιππησιοι ἀπο πολεως εισι της Μακεδονιας Φιλιππων, ȣ̔τω καλȣμενης ἀπο τȣ οικίςȣ.* Eximie igitur MICH. WALTHERVS fallitur, existimans, inscriptam esse hanc epistolam urbis Thessaliae incolis, non illius cui nomen Philippi cessit, a Philippo Macedonium rege qui eandem instauravit, & nomine

Macedoniae adiecta fuit?

(c) in *Poen.* Act. 1. Sc. 1. v. 38. (d) *decad.* 4. lib. 7. (e) Vide etiam *Plauti Bach.* A. 4. Sc. 8. v. 27. 30. *Poen.* A. 3. Sc. 1. v. 55. Sc. 5. v. 26. 36. *Asimar.* A. 1. Sc. 3. v. 1. *Curial.* A. 3. v. 70. *Bach.* A. 2. Sc. 2. v. 24. *Trucul.* A. 5. v. 60. A. 4. Sc. 2. v. 111. 118. 121. 122. FLAV. VOPISCVM Syrac. in vita Aurelii & Probi. conf. *Ezech.* SPANHEMIVS de praest. & usu numism. vol. 1. Lond. 1706. pag. 380. 381. item p. 8. (f) l. c. pag. 498. (g) hist. l. 2.

ne suo, Philippos nuncupavit, sed alterius cuiusdam, quae hoc eodem nomine fuit in Thracia. Vide eius officinam biblicam Wittenb. 1668. pag. 1074.

De campis philippicis.

§. 7. Inclaruit praeterea haec urbs, quia *in campis eius ab Octaviano & Antonio victi, aut potius a fortuna deserti sunt C. Cassius & M. Brutus.* Verba VELLEII PATERCULI hoc de proelio modo citavi. Addo versus LUCANI lib. I. observantis, urbem hanc duobus civilium bellorum proeliis esse celebrem:

Aemoniae hinc urbem veteres dixere PHILIPPOS:
Hic bis romano maduerunt sanguine campi.

Vide etiam additamentum virorum illustrium ex libris antiq. manu descriptis, ad AUREL. VICTOREM. L. FLORUM (h), SUETONIUM (i), PLINIUM (k), VALERIUM MAXIMUM (l) & TACITUM (m). De eodem praelio VIRGILIUS (n), (quanquam commiscens Pharsalicae & Philippensis pugnae loca):

Romanas acies iterum videre PHILIPPI.

Colonia facta quando?

§. 8. Tandem sub *Iulio Caesare* & imperatore *Augusto* COLONIA romana facta est. DIO enim autor est, Augustum extorres eo transmisisse lib. 51. τους γαρ, inquit, *δημους εν τη Ιταλια τους τα του Αντωνιου φρονησαντας, εξοικισας τοις μεν στρατιωταις, τας τε πολεις και τα χωρια αυτων εχαρισατο, εκεινων δε δη τοις μεν πλειοσι το, τε Δυρραχιον,* ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥΣ *αλλα τε εποικειν αντεδωκε* h. e. *nam eos conventus Italiae, qui Antonii rebus studuissent, extorres egerat, militibusque agros eorum donaverat: extorrium autem plerisque Dyrrachium,* PHILIPPOS *& alia oppida habitanda concessit.* Fuit autem haec urbs *privilegiis iuris Italici* decorata (o). Fuisse coloniam non ex Actor. 16, 12 solum probari potest, & ex PLINIO l. c. verum etiam ex *corpore iuris civilis*, & quidem *Digestorum* lib. 36. ad Senatus consultum Trebellianum tit. 1. lege 32. Celsus: *Ballista filium familias haeredem instituit ita: Rebellianus* (Trebellianus) *si caverit*

(h) lib. 4. c. 7. (i) in *vita Octaviani Augusti* lib. 2. c. 13. (k) lib. 7. c. 45. (l) lib. 1. c. 5. n. 7. (m) *annal.* l. 7. c. 76. n. 1. lib. 4. c. 35. n. 2. *histor.* l. 1. v. 50. n. 3. l 2. c. 38. n. 4. (n) *Georgic.* lib. 1. v. 490. (o) conf. LE MOYNE in *observ. ad varia sacra* pag. 63. Sal. van Til tom. 2. oper. analyt. celeb. Elsnerus in explicat. huius epistolae pag. 5.

caverit COLONIAE PHILIPPENSIVM, *si sine liberis morietur, quantacunque pecunia ex haereditate de bonis meis ad eum pervenit, eam pecuniam omnem ad* COLONIAM PHILIPPENSIVM *perventuram.* Item lib. 50. ad municipalem & deincolis tit. 15. de censibus, lege 6. Celsus COLONIA PHILIPPENSIS *iuris italici est.* Lege 8. Paulus: *In provincia Macedonia Dyrracheni, Cassandrenses,* PHILIPPENSES - - iuris italici sunt. Quid vero istud ius italicum disquirit sit, LE MOYNE (p) & ven. Walchius l. c. pag. 5.

Accedunt ad haec testimonia *tot numismata*, hanc rem egregie tam illustrantia quam confirmantia. In his colligendis praeclaram operam navarunt doctissimi viri, PATINVS (q), IO. FAY-VAILLANT (r), & EZECH. SPANHEMIVS (s), coll. CELLARIO (t), SAL. VAN TIL (u), IOH. IAC. GESNERVS de numis Regum Macedoniae, & ven. D. WALCHIVS l. c. pag. 5. *Primus* nummus superstes TIB. CLAVDIO CAESARE AVG. p. m. tr. p. imp. dicatus est, & mediocris moduli, hac inscriptione: COL. AVG. IVL. PHILIP. h. e. colonia Augusta Iulia Philippensis; & in basi: DIVVS AVG. cui basi duae figurae insistentes, altera virilis paludata, dextram elevans, laeva ad latus; altera vel etiam virilis, vel muliebris seminuda cum pallio, dextra coronam supra caput prioris imponens. *Secundus* VESPASIANO dicatus minimae molis, eandem habet epigraphen. *Tertius* DOMITIANO, secundi moduli. *Quartus* HADRIANO. *Quintus* M. AVRELIO. *Sextus* COMMODO, in quo lupa cum puerulis, quod solenne est coloniarum symbolum. *Septimus* denique CARACALLAE, eandem επιγραφην cum quinque prioribus habens. Veteri vero lapidi inscriptum fuisse; COL. IVL. PHILIPPENSIS refert SPONIVS (v). Hoc huius urbis privilegium Paulum spectasse, quando verbis πολιτευεσθαι & πολιτευμα in hac epistola utitur, cap. 1, 26. c. 3, 20. clarum est atque perspicuum.

§. 9. *Mercatura* quae ibidem fiebat, fecit, ut tot homines peregrini ibi confluxerint, quorum ex numero etiam LYDIA illa erat De mercatura.

(p) l. c. pag. 64-71. (q) *de nummis Caesarum* pag. 99. (r) *de nummismat. aereis imperatorum* &c. Parisiis 1697. tom. 1. pag. 109. 132. 143. 169. 192. 219. & tom. 2. pag. 41. (s) *de praest. & usu nummism.* vol. 1. pag. 8. 9. 105. 106. vol. 2. pag. 600. 601. (t) l. c. pag. 1058. & *in diss.* pag. 711 seq. (u) *in comment. in 4 epist.* pag. 280. (v) *in miscellan. erud. antiq.* pag. 173.

erat πορφυροπωλις πολεως Θυατειρων (w). Inde etiam *opibus polluerunt urbis huius incolae*, christianique qui in illa reperiebantur, beneficia Paulo prae aliis ecclesiis deferre poterant (x).

Praesens urbis status.

§. 10. Tria adhuc verba de *praesenti urbis statu* addenda sunt, de quo relatum accepimus illam ad hunc usque diem exstare quidem, & *Filippos* s. *Philippos* dictam, sed nunc ibi duntaxat pagum esse, continentem quinas aut senas aedes extra muri circuitum apud aquam exstructas, & a paucis inhabitari graecis egentibus, sub *Turcorum* imperio. Praeterea scimus *esse urbem Archiepiscopalem*, unde STEPHANVS GERLACHIVS in *litteris ad Martinum Crusium* an. 1575. datis (y) *Philippi*, inquit, *Macedoniae metropolis exstat 150 ecclesiarum*. BELLONIO teste (*) rudera huius urbis & ruinae non minus sunt admirandae, quam ullius alterius urbis, veterem urbis splendorem testantes. Pulcherrimum enim isthic est *amphitheatrum* sphaerica figura exstructum, quod in hunc usque diem pene integrum conservatum est, possetque in multos adhuc annos perdurare, nisi Turcae gradus, qui marmorei sunt, auferrent. Sunt etiam hic alia antiquissima vetustatis monumenta, nempe *quatuor ingentes & crassae columnae*, quae templo D. Claudii dicatae sunt, & aliae adhuc plurimae *marmoreae statuae & columnae* Ionici & Dorici operis, insignis structurae & summi artificii. ZANCHIVS tradit quidem hanc urbem hodie vocari *Grixopolim* quasi *Chrysopolin*. Sed hoc cognomen saltem esse videtur, non vero consueta huius urbis denominatio. Vide CLVVERII *introd. geogr.* (z) MICH. ANT. BAVDRAND *geogr.* (a), LEXICON VNIVERSALE (b), BENI. HEDERICHII *reales* Schul-lexicon (c), SPANHEMII *geogr. sacr.* (d), CAROLI A S. PAVLO *geogr. sacr.* (e), IO. ANT. MAGINI *geogr. tum veterem tum novam* (f), celeb. ELSNERVM (g), aliosque qui geographias

(w) Actor. 16, 14. (x) vide Ven. D. BAVMGARTEN l. c. & SAL. VAN. TIL l. c. pag. 316. (y) quae adiunctae sunt DAV. CHYTRAEI *orationi de statu ecclesiarum hoc tempore in Graecia, Asia* &c. Witteb. 1582. (*) lib. 4. observ. cap. 56. (z) Guelpherbyti 1678. pag. 318. (a) tom. 2. Parisiis 1681. pag. 164. (b) tom. 27. pag. 1939. (c) Lipsiae 1731. pag. 1209. (d) tom. 1. oper. pag. 115. (e) Amstel. 1703. pag. 188. 189. (f) vol. 2. Arnhemi 1617. pag. 159. (g) l. c. pag. 11.

phias & itineraria ediderunt, in primis vero BELLONIVM l. c. quem omnes hi ducem sequuti sunt.

De statu interno.

§. 11. Sequitur, ut de *interno eius statu* disputem, & quidem primo de *incolis in genere*, & deinde de *ecclesia philippensi* sigillatim.

De incolis in genere.

§. 12. De *incolis* notum est, illos tam quod ad ortum quam educationem pertinet, *simulacrorum cultores* fuisse, seu *gentiles*, qui *Herculem* inprimis *Thasium*, *Dianam* Iovis & Latonae filiam, & *Apollinem* fratrem Dianae, *Pythium* etiam dictum, pro diis habentes, coluerunt, quod vel ex Actor. 16, 16-19 apparet. Prolixa vero & accurata horum numinum disquisitio seiuncta est a re proposita. Vide igitur qui de antiquitatibus graecis & romanis scripserunt, coll. SAL. VAN TIL (g), Ven. D. WALCHIO l. c. pag. 52 seq. & celeb. ELSNERO l. c. pag. 6 seq. Id vero observari promeruit, inter divos relatum *Caesarem Augustum* (h) Philippenses inprimis coluisse. Unde nonnulli cap. 2, 6. Paulum ad hanc ἀποθέωσιν respexisse, opinantur V. C. ALEX. MORVS (i) STEPHANVS LE MOYNE (k), PETR. ZORNIVS (l), SCHVRZFLEISCHIVS (m) & SAL VAN TIL (n). Praeterea exinde verosimile fit, quia in numismate illo Claudii, cuius supra memini, ab una parte imago Caesaris repraesentatur, ab altera Iupiter capiti Augusti coronam lauream imponens. Aliam quidem sententiam tuetur PATINVS, duas figuras, de quibus disputamus, Iulium Caesarem & Augustum esse, ex epigraphe basi imposita existimans. Hunc vero refutat VAILLANTIVS (o) verbis: *sed constanter mulier supra figurae militaris caput coronam sustinet, titulus vero ad solum Augustum pertinet, & quidem post eius mortem ipsi concessus: ideo eius effigiem a Philippensibus ob coloniae restaurationem*

Divum Augustum coluerunt.

Cap. 2, 6. explicatur.

publice

(g) l. c. pag. 251. 133 - 170. (h) vide TACITI *annales* l. 2. c. 22. n. 1. l. 4. c. 38. n. 8. l. 1. c. 23. n. 2. c. 2. n. 6. lib. 2. c. 41. n. 1. lib. 4. c. 6. 7. n. 6. c. 37. n. 1. c. 55. n. 5. c. 57. n. 1. lib. 6. c. 45. n. 3. HERODIANVS lib. 4. c. 2. ἀποθέωσιν imperatorum praeclara egressione describit. (i) *in diatriba* ad c. 53. Ies. pag. 136. (k) *in observ. ad var. sacr.* pag. 274 seq. (l) tom. 1. *bibl. antiq.* p. 15 seq. ei. Erörterung sub nomine Amelii tom. 2. pag. 430 seq. (m) in *tmematibus aliquot philologicis* §. 14. (n) l. c. pag. 250. 252. (o) l. c. parte 1. pag. 109. 110. & 132.

publice erectam; mulierem vero seminudam ipsum coronantem, urbis Genium arbitramur: in plurimis autem graecis nummis saepe genius imperatoribus coronam imponit.

Huiusmodi Caesares indigetes ἀνηρπαγμενοι dicebantur, seu sursum erepti, & relatio inter divos ἁρπαγη vel ἁρπαγμος vocabatur. Sensus igitur verborum apostoli esset, Christo divino honore non usum fuisse, quem alii sibi sumunt & arrogant, licet illum vindicare sibi potuisset legitime. Clarissimo autem WOLFIO (p) videntur longissime a Pauli mente divertere, qui hanc interpretationem assumunt. LE MOYNE putat, Paulum hoc loco Alexandri M. ἀποθεωσιν respicere, ven. ELSNERUS autem l. c. pag. 9. 10. Herculis inter divos relationem. Caeterum, Philippenses & Caesarem *Claudium* coluisse, haec apud GRUTERUM f. 395. testantur verba: *Flamen divi Claudii Philippis.*

Cap. 1, 27. 3, 12-16. explicatur. Id vero certius est, locutiones illas, quibus apostolus c. 1, 27. 3, 12-16. utitur, a certaminibus Herculi sacris, desumtas esse v. c. συναθλεῖν adiuvare certamen seu concertare; λαβειν praemium accipere; τελειωσθαι a praeside certaminum victorem declarari & praemio donari; καταλαμβανεσθαι apprehensus ab exercitato cursore stadium citius emetiri; τα οπισω spatium cursu iam emensum, τα εμπροσθεν totum spatium quod est inter cursorem & metam, it. omne id quod ad praemium pertinet; κατα σκοπον διωκειν via brevissima ad metam contendere; βραβειον praemium victoriae; ἀνω, pretium in excelsis erat positum; τελειος ad certamen cursus aptus; κανων linea recta & brevissima ad metam perveniendi; στοιχειν ordine progredi &c. conf. SAL. VAN TIL (q), IAC. LYDII *Agonistica sacra* (r), PETRI FABRI *agonistica* (s), vel ELSNERI comment. 879-886. 911-914.

De proseucha iudaeorum. §. 13. *Adfuerunt autem hac in urbe multi Iudaei*, mercaturae caussa ibi commorantes, qui tamen respectu gentium huius & aliarum civitatum, *pauci* fuerunt, quod vel inde manifestum est, quoniam ne *synagogam* quidem hoc loco habuerunt, sed PROSEU-

CHAM

(p) tom. 3. curar. phil. pag. 208. 209. (q) l. c. pag. 298-300. 302. 303.
(r) Franequerae 1700. pag. 3. 27. 28. 75. 123. 137. (s) lib. 2. c. 33. l. 3. c. 11. 19. 20.

CHAM tantum, priorem vero Thessalonica fuisse ex Act. 17, 1. 10. c. 20, 16. constat. Ex Act. 16, 12. Iudaeos Philippis proseucham habuisse scimus, de qua paucis disserendum est. HERMANNO WITSIO (t) videtur quidem simplicissimum per vocem προσευχην, hic orandi actum intelligere, ita ut sic vertantur verba: *ubi ex recepto more erat, sive fiebat, oratio.* Quo sensu etiam exponi posset comma 16 πορευομενων ἡμων εις προσευχην, *quum iremus oratum.* Sed observandum est, ipsum WITSIVM nobis largiri, preces has certo quodam loco tamen esse fusas, qui ex multorum testimonio *Proseucha* dicebatur. Nihil ergo nos commovet WITSIO calculum nostrum adiicere, multae potius nos cogunt rationes, ut aedificium hic intelligamus, quod proseucha dicebatur, praeeunte *Syro*, verba haec ita vertente: מֶתחַזְיָא הוא בֵית צְלותו *quia ibi conspiciebatur domus orationis*, & versione arabica

الى موضع الذويكان يضلى ابه موضع الصالة

h. e. egressi sumus ad locum qui existimabatur esse locus orationis. Tales habebant Iudaei Romae, Alexandriae, & in aliis urbibus plures. Quidam has proseuchas easdem cum synagogis fuisse volunt, quod contendunt GROTIVS (u), I. H. HOTTINGERVS (v), REITZIVS (w) qui ex Maimonide (x), locum aliquem allegat, unde hoc probare vult. Idem fere sentit GOODWINVS (y) etsi profiteatur, sibi nondum compertum esse, num oratoria a synagogis differant. Alii vero rectius inter illas distinguunt. *Proseuchae* enim בתי כנסיות seu בתי תפלות proprie dicebantur, & precibus להתפלל erant destinatae; synagogae vero בתי מדרשות vocabantur, למשנה ולתלמוד doctrinae Mischnae & Gemarae consecratae, observante RELANDO (z). GOODWINVS & LE MOYNE (a) observant, quibusdam προσευχην idem esse ac Xenodochium vel sacellum, quia ad fores προσευχων *aedicularum*, egeni confluebant, ad stipem capiendum. Hinc IVVENALIS (b),

(t) in *meletem. Leidensibus* Lugd. Batav. 1703. pag. 71. (u) ad Matth. 4, 23. (v) *in obs. ad Goodwinum* p. m. 379. (w) in *annot. ad Goodwini Mosen & Aaronem* p. m. 180. (x) *Tephil.* c. 4. §. 1. (y) l. c. pag. 179. (z) *in antiq. p. m.* 113. (a) *in observ. ad varia sacra* pag. 74. (b) Sat. 3. v. 296.

Ede, ubi consistas, in qua te quaero *Proseucha?*
De origine vero horum oratoriorum accepimus, Iudaeos extra Hierosolymam viventes ad exemplum precum quotidianarum, quae in atrio templi hierosolymitani fundebantur (c), sub dio quam in aedibus & synagogis precari maluisse. Hunc in finem quibusdam in locis, in agro, praesertim autem iuxta littora marium & fluviorum, spatiosa & inturbida loca muris circumdabant; quae postea a precibus προσευχαι appellata sunt. Inde *littorales orationes* apud TERTVLLIANVM (d), IOSEPHVS proseucham μεγιςον οικημα vocat, πολυν οχλον επιδεξεσθαι δυναμενον i. e. *maximam domum, magnam turbam capere valentem.* De his proseuchis prolixe disputarunt EPIPHANIVS (e), HAMMONDVS (f), SVICERVS (g), LE MOYNE (h), BRAVNIVS (i), IOSEPH MEDE (k), FABRICIVS (l), BALTH. STOLBERGIVS (m), SAL. VAN TIL (n), C. STARCKIVS (o), citati GOODWINVS & RELANDVS, b. PTITIVS (p), Ven. D. BAVMGARTEN (q), WAGENSEIL (r), S. R. WALCHIVS l. c. pag. 8-16. cel. ELSNERVS l. c. p. 19. s. aliique quos citaverunt WOLFIVS (s), LILIENTHAL (t) & Ven. WALCHIVS l. c.

Cap. 3. initium explicatur.

Propter hos iudaeos inter Philippenses degentes, cap. 3. huius epistolae animo sane paterno & benevolo, ut magnopere caverent a corruptoribus iudaeis praemonuit apostolus, *canes* eos vocans i. e. homines impuros, maledicos & obtrectatores, in quos quadrat illud quod diei solet: βλεπε κυνα, *cave canem* (u); κακας εργατας

(c) conf. Luc. 1, 10. coll. *Relandi antiq.* p. m. 88. 89. (d) *ad Nationes* lib. 1. c. 13. (e) *haeresi 80 contra Messalianos* lib. 3. tom. 2. (f) ad Actor. XVI, 13. (g) *thes. ecclesiast.* tom. 2. p. 852. (h) *observ. ad varia sacra.* pag. 71-86. (i) *in selectis sacris* lib. 1. c. 1. §. 16. pag. 15-19. (k) *in operibus* London 1672. p. 65 seq. cuius sententiam contraxit IACOB SAVRIN in Betrachtungen über die Geschichte H. Schrift pag. 1148-1152. vers. germ. (l) *bibliogr. antiq.* p. 288 & 600 seq. (m) in diss. *de proseuchis Iudaeorum* Witteb. 1681. (n) in *comment. in 4 epist. Pauli* pag. 10. 252. 253. (o) in *synopsi bibl. exeget.* in N. T. parte 2. pag. 410. 411. (p) *in introd. in N. T.* p. m. 576 & 580. (q) *in hist. eccles.* parte 1. pag. 40. (r) *ad sota* p. 527. (s) *tom. 1. cur. phil.* pag. 1236 seq. 1241. (t) *in* biblischen archivario N. T. pag. 399. ad h. l. (u) conf. Apoc. 22, 15. Matth. 7, 6. Ies. 66, 3. Prov. 26, 11. Deut. 23, 18. 19. Ps. 59, 7. 16. 22, 17. 21. 2 Petri 2, 22. Rom. 16, 17. 18. SAL. VAN TIL l. c. pag. 294.

εργατας *malos operarios*, qui Deo non serviunt, ad scopum, quem sibi proposuisse simulabant, prorsus inutiles, qui omnibus noxae, nulli usui sunt (v). Porro την κατατομην *concisionem*. Appellationem metonymicam, περιτομης Iudaei sibi vindicabant. Paulus vero docet, circumcisionem carnis, quam hi corruptores Christianis commendabant, iam inutilem esse, immo damnosam. Denique v. 18. *hostes crucis Christi*. Trina vero illa repetitio τε βλεπετε, & periculi gravitatem, & cautionis necessitatem indicat (w).

§. 14. Quod denique *ecclesiam huius loci* attinet, illa tunc, cum Paulus haec scriberet, omnibus notis ecclesiae verae visibilis gaudebat, seu forma regiminis ecclesiae inter Philippenses plenario erat constituta. Praeerant ipsi doctores quidam, ad hoc munus constituti, quos Paulus επισκοπες vocat & διακονες (x). Membra huius ecclesiae inter se per evangelium erant coniuncta, qua de re Paulus της κοινωνιας Φιλιππησιων εις το ευαγγελιον, mentionem facit (y). Omnes vero fideles Philippenses Christo eiusque doctrinae & ore & corde adhaerebant. Conf. ven. ELSNERVS in hanc epistolam pag. 91-93. Ecclesiae in hac urbe christianae status.

Optime autem *hanc ecclesiam comparatam fuisse*, inde manifestum est, quia nullam ecclesiam adeo approbat apostolus, ac nostram. Pertinent huc inprimis verba c. 1, 3 sq. ubi Philippensibus confirmat, se illorum semper cum gaudio memorem esse, simulque impelli ad maximas gratias Deo pro illis persolvendas; & quotiescumque sui ipsius caussa Deum adoraret, pro illis etiam omnibus magna laetitia preces se fundere. conf. v. 7. cap. 4, 1. Cap. 1, 3.

§. 15. Denique observo, *Philippenses apostolum eximia caritate dilexisse, & prae aliis illum beneficiis cumulasse*. Id ipse Paulus multis & exquisitissimis verbis laudat. Huc inprimis pertinet cap. 4, 15. εδεμια μοι εκκλησια εκοινωνησεν εις λογον δωσεως και ληψεως, ει μη ὑμεις μονοι. Ad quae verba bene commentatus est ZEGERVS (z) *communi-* Amo Philippensium in Paulum. Cap. 4, 15.

Gnosticos indigitari putat. Vide etiam BRAVNII *selecta sacra* lib. 1. c. 7. §. 95. & ELSNERI comment. pag. 755-751. (v) 2 Cor. 2, 13. (w) observante CALOVIO *tom. 4. bibl. illustr.* pag. 776. (x) cap. 1, 31. de quibus sectione VII. disputabitur. (y) cap. 1, 5. (z) *tom. 5. critic. sacr.* ad h. l.

communicare & rationem dati & accepti, vel in ratione dandi & accipiendi, est beneficium beneficio pensare, & pro spiritualibus reponere temporalia: id quod faciebant Philippenses suo apostolo. Et WOLFIVS (a) *Fortasse Paulus respicit ad beneficia spiritualia, quae Philippenses a se olim acceperint, & nunc accipiant, pro quibus vicissim ad se de facultatibus ipsorum nonnihil redundavit.* Quae omnia recte se omnino habent. Nam κοινωνια εἰς λογον δωσεως και ληψεως, est rationes acceptorum & datorum subducere, & indicat, Philippenses laborem & studium Pauli pro reditu habentes ad calculos revocasse, & ad compensationem acceptorum se non devinctos solum agnoscere, verum etiam esse paratissimos, quod & de se affirmat apostolus.

Amolitus autem a se suspicionem, quasi hac gratiarum actione Philippenses ad plus dandum invitare vellet. v. 16. verbis: ὀυχ (scil. γραφω ταυτα) ὁτι επιζητω το δομα, & v. 18. ἀπεχω δε παντα h. e. sufficit mihi quod accepi, nihil est quod requiram amplius.

Bis vero Philippenses apostolo in Thessalia commoranti εἰς την χρειαν ἀυτου miserunt v. 16. & semel cum Romae captivus teneretur.

Conf. VAL. CRVSE *de statu Philippensium ad quos scripsit Paulus, ante, in & post conversionem*, Hafniae 1734. quam tamen dissertationem mihi videre non licuit.



SECTIO IV.

DE SERMONE ORIGINALI ET STYLO.

§. 1.

Graece scripta est.

Epistolam hanc *graeco idiomate* ab apostolo esse exaratam, non est ut dubitemus. Ad graecos enim scripsit, ergo necesse erat eodem etiam lingua uti, quae ipsis vernacula fuit. Cum vero

(a) *tom. 3. cur. phil.* pag. 268.

vero hac de re nulla, me sciente, controversia mota sit, ad *stylum* ipsum statim progredior.


§. 2. Hic vero optimis criticis fatentibus hac in epistola *iucundissimus* est, & ad persuadendum optime compositus. Quorsum pertinent verba CASTALIONIS: *nulla alioquin Paulina epistola perinde pathetica est, paternisque affectibus referta, ut haec ipsa.* GROTII: *est haec epistola laetior alacriorque & blandior caeteris* (b). Multi quidem non erubuerunt & puritatem & elegantiam scripturae Pauli negare, quos vero alii felicissimis armis repulserunt. Quae controversia cum inter eruditos satis constat, oleum & operam perderem, illam hic renovans. De stylo.

§. 3. Id saltem hic observare iuvat, quod Cel. TACO HAIO VAN DEN HONERT (c) observavit, cur scilicet Paulus in nostra quam tractamus epistola c. 3. non glorietur de humanioribus disciplinis, si in illis exercitatus fuisset? quod dubium sequentem in modum e medio tollit, respondens: *Paulum id non fecisse, quia non faciebat ad scopum, quem sibi isthic loci praefixerat. Pauli scopum ibi tantum esse enumerare omnia illa privilegia, quibus ornatus erat iudaismus, & ostendere, nullum eorum sibi deesse: Quid vero ad iudaismi privilegia facit graece doctissimum esse? ut adeo Paulus si de sua graeca litteratura & bonarum artium studiis istic fuisset gloriatus, penitus ineptus fuisset &c.* van den Honert observatio.

§. 4. Quanquam autem temerarii quidam critici in N. T. generatim, & in primis in epistolis paulinis *soloecismos, idioticismos idiotismos, barbarismos* se deprehendisse somniarunt (d) nemo tamen in hac epistola tales ostendit, nisi huc referre vis, SALMASIVM (e) verbum γογγυσμος quod c. 2, 14. occurrit, ἀδοκιμοις και ἰδιωτικοις accensere. Hunc vero refutavit cel. philol. Wittebergensis GEORGIVS Puritas styli.

(b) *vide tom. 5. critic. saer.* & *Poli synopsin tom. 5.* pag. 789. (c) *in apolog. syntagm. diss. de stylo N. T. graeco contra Eliam Benoist.* pag. 378. Amstel. 1703. (d) vide WOLFII *cur. philol.* tom. 2. pag. 2. 3. b. RAMBACHII *instit. Herm. sacrae* pag. 400. 401. *ei. critrod. in epist. ad Romanos* pag. 119-124. RVMPAEI *comment. intic.* pag. 59-80. & ven. HOFMANNI sect. 2. *introd. in epist. ad Coloss.* pag. 14-16. (e) *in comment. de lingua hellenistica* pag. 108.

ORGIVS (f). Quidam praeterea cap. I, 22 in verbis: τȣτο μοι καρπος εργȣ, latinismum se invenisse, putarunt, quod clar. SCHWARZIVS ad OLEARIVM *de stylo N. T.* negat. Caeterum clar. ille Hamburgensis theologus I. C. WOLFIVS *in curis philologicis* parte 3. epistolae huius phrases & locutiones ex profanis auctoribus illustravit, puritatemque illarum probavit.



SECTIO V.

DE LOCO VBI EPISTOLA SCRIPTA ET VNDE MISSA EST.

§. 1.

Romae scripta est.

In eo plurimi & omnes fere consentiunt, epistolam hanc *Romae esse* scriptam, id quod evincitur, non ex subscriptione solum, licet cum ea subscriptiones versionis syriacae & arabicae conveniant, (illis enim raro fides tribuenda, nec ab autoribus librorum ipsis profectae sunt) sed ex triplici potissimum argumento.

Probatio I.

§. 2. *Primum* desumitur ex expressa vinculorum suorum ex quibus missa est, mentione ab apostolo facta cap. I, 7. 13. 14. Paulum vero Romae tum carcere detentum fuisse, sequens docebit sectio.

Secunda.

§. 3. *Deinde* probatur ex cap. I, 13. ubi Paulus de *praetorio* loquitur, in quo doctrina ipsius evangelica & vincula toti cohorti praetoriae, innotuerunt. In disceptatione versatur, quid sit hocce, cuius apostolus meminit, praetorium. Multi & inprimis IAC. PERIZONIVS & VLRICVS HVBERVS hac de re disputarunt, ille singulari dissertatione quadam Franequerae 1687. edita, hic, parte 2. praelectionum iuris romani & hodierni, in expositione tituli XI.

Quid sit praetorium cap. I, 13.

Quas

(f) in diss. *critica de idioticismis dictioni N. foederis immerito affictis.* Viteb. 1730. pag. 19. 20.

Quas disputationes quaedam adhuc ex utraque parte sequutae sunt. Vtriusque sententiam lege apud WOLFIVM (g). Intelliguntur autem h. l. optime praetoriae cohortes, quas instituto Augusti habebat imperator custodiam corporis atque adversus subita remedium: sparsas initio per hospitia, postea iunctas peculiaribus castris ad muros urbis non procul viminali porta (h) structis Seiani consilio, die Leibguarde, Leibwacht, das Hoflager, quas HERODIANVS lib. 4. c. 4. n. 16. σωματοφυλακες και δορυφορȣς vocat (i). In hanc sententiam descendit modo laudatus PERIZONIVS l. c. et qui illum sequuti sunt SAL. VAN TIL (k), IO. CLERICVS, BEAVSOBRE & LENFANT in N. T. ac cel. ELSNERVS l. c. pag. 102. 270. 271. Alteram sententiam Huberianam, secundum quam praetorium est urbanum iuridicundo auditorium, & pars palatii Caesarum, adoptavit HERMAN WITSIVS (l) (etsi concedat, praetorium citra controversiam notare etiam militum praetorianorum in unis castris ad urbem tendentium multitudinem) & cel. WOLFIVS l. c. quibus addi potest *versio arabica*, hoc comma ita vertens: adeo ut vincula mea propter Christum celebria fiant in tota aede imperatoris.

Aliam sententiam defendit OEDERVS singulari *programmate* Onoldi 1731. edito, & *in centuria coniecturarum* pag. 331-334. intelligens per praetorium proconsulis domum. Vide autem quae circa eam monuit saepe laudatus WOLFIVS l. c. pag. 273. Idem OEDERVS in *centuria coniecturarum* pag. 329. demonstrare voluit, Philippensibus hanc epistolam minime esse Roma missam, sed aliunde & multo maturius. Verum enim vero rationes quae illum ut id affirmaret, permoverunt, admodum debiles sunt, ut quisque accuratius illas ad lydium lapidem examinans, deprehendet. Oederi sententia refutatur.

Sententia vero cui nos calculum adiecimus, inde etiam confirmatur, quod Lucas Actor. 28, 16. refert, militem quendam praetorianum Paulo alligatum fuisse. Confirmatio.

Quia

(g) tom. 3. cur. philol. pag. 181. 182. (h) vide DE ANVILLE *ichnographiam urbis Romae*, in ROLLINI *hist. rom.* parte 1. & ROSINI *antiquitat. roman.* (i) vide *de cohorte praetoria* EZECH. SPANHEMIVM l. c. vol. 2. pag. 233-238. aliosque. (k) *in comment.* ad h. l. pag. 267. (l) *in meletemat. Leidens.* pag. 211.

Quia vero ad Caesarem appellaverat, non a cohorte praetoriana custodiebatur solum, sed & coram illis, qui imperatori proximi erant v. c. praefecto Praetorio, caussam suam dicere debuit, & ita vinculorum eius ratio, innocentia, & quod celebrabat evangelium, omnibus innotuit.


Cap. 4, 22. Huc etiam pertinet, quod cap. 4, 22. Philippenses nomine illorum qui *εκ της καισαρος οικιας* a Paulo salutantur. Indicari possunt his verbis vel cognati vel aulici caesaris Neronis. De illis nihil scimus (m) de his igitur Paulum loqui verosimilius est. Fortasse POMPONIA GRAECINA coniux *Auli Plautii* huc referenda est (n). Cl. OEDERVS quidem l. c. negans epistolam hanc Romae exaratam esse, per *οικιαν τȣ Καισαρος* familiam s. domum Caesaris, quam Corintho Gallione proconsule fuisse, nobis autor est, indigitari vult, & Corinthi scriptam esse, multo ante captivitatem Romanam, epistolam ad Philippenses, in aprico arbitratur positum, quod tamen haud facile cuipiam persuadebit. Conf. WOLFIVS l. c. pag. 275. 276.

Tertia. De Clemente c. 4, 3. §. 4. Denique sententia nostra inde confirmatur, quod Paulus c. 4, 3. *Clementem* nominat, qui romanus erat, licet EVSEBIO (o) non assentiamus, qui romanae ecclesiae illum postea praefuisse, vult. Sed illum hic *Clementem* intelligimus, qui civis romanus & evangelii praeco Philippis fuit, & tam ob autoritatem, quam dexteritatem ad negotium illud quod Paulus ipsi commisit, aptus erat (p). Hac in re nobiscum fere consentit Grotius ad h. l. verbis: *hic videtur fuisse romanus aliquis in Macedonia negotians.* ZANCHIVS huius ecclesiae presbyterum fuisse, putat. CALOVIVS autem (q) *Clementem romanum Philippis vixisse*, inquit, *nullo sufficiente documento* liquet. Loquitur vero de illo Clemente de quo epistola ad Corinthios superest. Hunc quidem nonnulli unum eundemque esse cum nostro Clemente putarunt, at minus verosimile.

§. 5.

(m) Fabula enim de *Poppaea Sabina* uxore vel potius concubina Neronis, ab aliis explosa est. Vide ven. D. BAVMGARTEN partem I. hist. eccles. p. 375. (n) conf. D. BAVMGARTEN l. c. (o) *hist. eccles.* lib. 3. c. 415. (p) conf. SAL. VAN TIL l. c. pag. 310. (q) *tom. 4. bibl. illustrat.* pag. 787. 788.

§. 5. Vltimo tandem loco opere pretium erit his argumentis testimonium aliquod addere, EVTHALII scilicet, qui in editione epistolarum Pauli, qualis in collectaneis veterum monumentorum Zacagnianis pag. 547 & 642. exstat (r), *ταυτην επιςελλει*, inquit, *απο Ρωμης, εωρακως αυτες αμα και διδαξας.* Et ibidem, *επειτα διηγειται ως απελογησατο εν Ρωμη, και οτι τινες βαρεις αυτω γεγονασεν εν τοις δεσμοις, φθονον αυτω κινεντες.* Testimonium Euthalii.
Conferatur SAL. VAN TIL (s), WALLIVS (t), PETRVS ZORNIVS (u) & ELSNERVS l. c. pag. 102.



SECTIO VI.

DE TEMPORE QVO EPISTOLA EXARATA EST.

§. 1.

Sequitur iam ut tempus inquiramus quo epistola scripta est. De quo magna quidem sententiarum divortia, tria vero potissimum observanda sunt. Argumentum huius sectionis.

§. 2. I. *Non in captivitate Pauli secunda, sed prima scripta est*, quod inde patet 1) quia Timotheum habuit penes se socium operis c. 1, 1. 2, 19. qui in ultima captivitate longe a Paulo abfuit, Paulus enim 2 Tim. 4, 21. illum monet, ut ante hiemem ad se veniat, 2) quia cum hasce litteras scriberet spem reditus ad Philippenses illis fecit cap. 1, 19-26. 2, 34. quam spem in ultimis vinculis omnem abiecit conf. 2 Tim. 4, 16. 18. In captivitate prima epistola scripta est

§. 3. II. Cum Paulus per biennium Romae captivus detentus sit, *non statim in principio, nec primo huius captivitatis anno, epistola scripta est* (v), quod inde conficio 1) quia fructus concionis evangelii durante captivitate, gloriari poterat c. 1, 12 seq. qui omnino & quidem anno eius secundo.

(r) citante WOLFIO l. c. (s) loco citato pag. 258. (t) *in notis criticis ad N. T.* pag. 275. (u) *in opusculis sacris tom.* 2. pag. 699. (v) ut C. STARCKIO *in synopsi bibl. exeget. in N. T.* tom. 3. pag. 152. aliisque videtur.

no tempus requisiverunt, ut multis & ipse & doctrina eius innotesceret; quod statim ab initio captivitatis factum esse, haud verosimile est 2) quia antequam epistola scripta, Philippenses Epaphroditum ad illum miserant, qui conditionem rerum eius perspiceret. Hic vero Romae morbo fere fatali correptus est, nec Philippus rediit, quam cum ad valetudinem rediisset c. 4, 18. 2, 25.

Non tamen in fine.

§. 4. III. *Nec in fine captivitatis scripta est.* Timotheum enim ad Philippenses mittere Paulus decreverat c. 2, 19. qui etsi tum Romae, nec tamen captivus esset, in fine captivitatis Pauli etiam in vincula coniectus est Ebr. 13, 23. MILLIVS (w) sub fine biennii captivitatis Pauli compositam esse quidem affirmat, rationes autem quas in medium profert, assertum hoc non probant. Idem asserit CASTALIO (x).

Annus definiri non potest.

§. 5. Hactenus omnia bene se habent. Iam vero quaeritur, quonam anno Christi epistola exarata, & Philippensibus missa sit? At candide fatemur, nos hunc annum ignorarae, nec facile erit, qui illum certe se definire posse contendet. Plurimis annus post N. C. 62, ex quo Paulus evangelium annunciaverat 27, & undecimus a plantatione ecclesiae Philippensis, videtur verisimillimus V. C. IO. PEARSONIO (y), IO. MILLIO (z), IO. ALB. FABRICIO, CHRISTOPH. HENR. ZEIBICHIO, IOH. CHRIST. KLEMMIO, CHRIST. REINECCIO (a), IO. CLERICO, IOACH. LANGIO, b. FRITIO (b), b. RAMBACHIO (c), AVGVSTINO CALMETO (d), VEN. D. SALTHENIO (e), celeb. I. P. REVSCHIO *in introd. in theol. revel.* Ienae 1744. pag. 280. & WALLIO in notis criticis ad N. T. p. 275. aliisque. Quidam anno Christi LVI. scriptam esse volunt e. g. LVDOVICVS CAPELLVS (f), GOTFRID ARNOLD

(w) *in proleg. N. T.* pag. 8. (x) *tom. 5. critic. sacrorum* Francof. ad Moenum 1695. (y) *in annalibus Paulinis* pag. 12 seq. (z) l. c. pag. 8. (a) in *ordine & chronotaxi historiae actorum apostolorum*, quam deprehendimus in ei. edit. N. T. graeci Lipsiae 1725. (b) in *introd. ad N. T.* p. m. 289. (c) *in instit. herm. sacrae* pag. 222. (d) *in brevi chronologia Argentorati* 1734. 8. pag. 73. (e) *in introd. in omnes libros sacr. Vet. & Nov. Test.* Regiom. 1736. pag. 79. (f) in *appendice ad hist. apostol. in criticis sacris tom.* 1. p. 3171 sq. & in ei. *hist. apostol.* Francof. & Lips. 8, 1691. p. 123.

NOLD (g) SALOMO VAN TIL (h), SANDHAGENIVS (i), VAN DEN HONERT proleg. epist. ad Rom. p. 23 seq. VAN ALPHEN Proleg. epist. 2 ad Corinth. 6, 5. p. 57. ELSNERVS l. c. pag. 101. 115. Alii an. 57. e. g. ut videtur LENGLET DV FRESNOY (k). Alii an. 58. ut DIONYSIVS PETAVIVS (l). Alii an. 59. e. g. HENR. HAMMONDVS (m), IO. IAC. HOTTINGER (n) & IO. IAC. SCHMIDT (o). Alii an. 60. e. c. CAESAR BARONIVS (p), IO. LIGHTFOOT (q). M. IOH. KROMAYERVS *in indiculo hist. ecclesiast.* qui reperitur. in ej. *epitome libri christianae concordiae* Ienae 1663. 12. pag. 390. BLONDELLVS *de episcopis* p. 2. FABRICIVS bibl. graeca vol. 4. lib. 4. c. 5. p. 156. Alii an. 61. v. g. ALSTEDIVS (r). Quidam denique ad annum 64. illam referunt, ut IAC. VSSERIVS in annalibus. Londini 1654. f. pag. 686.

Conf. RVMPAEI *commentatio critica ad libros N. T.* in genere pag. 121-128. & PRITII *introd.* p. m. 163. 164. Eligat quisque quod sibi a vero abhorrere non videtur. Ita ostendi non potest, ut negari non possit amplius. Nam subsidiis chronologicis hac in re sumus destituti.

E 2 §. 7.

(g) In der kurzgefaßten Kirchen Hist. des A. u. N. T. p. 105 seq. (h) *in opere analytico* tom. 2. & *comment. in 4. epist.* pag. 255. 256. (i) in Kirchen-historie des A. und N. T. Leipzig 1697. pag. 107. coll. eiusd. Einleitung in die Geschichte JEsu Christi, Lüneburg 1688. pag. 178. RVMPAEVS l. c. pag. 126. scribit, Sandhagenium hanc epistolam anno p. N. C. 63. scriptam putare. Sed unde hoc sciat nescio. Intellexi potius ex libris modo citatis eum ad annum Christi 56. hanc epistolam referre, quanquam sibi ipsi non satis constare videatur. Nam pag. 102. allegati libri: Kirchen hist. A. u. N. T. anno Christi 60 vel 61. epistolam ad Philippenses scriptam esse adserit, pag. 107. autem an. 56. (k) *Tablettes chronologiques* &c. A Paris 1744. Seconde partie pag. 9. ibi enim observat an. 57. epistolam ad Ephesios scriptam esse. Haec vero uno eodemque anno cum epistola ad Philippenses exarata est. (l) referente RVMPAEO l. c. in rationario ipsius temporum nulla temporis scriptionis epistolarum Pauli mentio facta est. Putat vero Paulum an. Christi 56. vinctum Romam adductum esse parte 1. lib. 5. c. 3. pag. 232. edit. Amstel. 1745. ergo in annum 57 vel 58. indiceret missio huius epistolae. (m) in annotat. in N. T. (n) *in pentade diss. biblico-chronologicarum* Ultraiecti 1732. diss. 3. (o) *in historico biblico.* (p) *in epitome annal. ecclesiast.* opera HENRICI SPONDANI Moguntiae 1614. f. p. 109. (q) *oper.* vol. 2. pag. 80. f. (r) *in thes. chronol.* pag. 103 seq.

Millius & Heideggerus notantur.

§. 7. MILLIVS l. c. & I. H. HEIDEGGERVS (s) contendunt, epistolam hanc primam esse quatuor earum, quas in vinculis scripsit apostolus. Vide autem ven. D. BAVMGARTEN *hist. eccles.* pag. 357. 361. partis I.



SECTIO VII.

DE OCCASIONE SCRIBENDI.

§. I.

Occasio prima.

Occasionem hanc epistolam exarandi Paulo suppeditavit 1) *ipsa in qua tenebatur captivitas.* Illa enim a) impedivit quo minus evangelium Philippensibus aliisque coram annunciare potuit. Quod igitur voce & praesens facere nequivit, id per litteras efficere studebat, b) captivitas haec inimicis tum evangelii in genere, tum Pauli inprimis ansam dedit calumniandi, auditoresque illius perpellendi, ut & de doctrina & de fide Pauli dubitare inciperent (t). His igitur malevolis os erat obturandum, fidelesque admonendi, ne illis crederent, omnia potius ne deciperentur rite explorarent. c) amor amicorum Pauli sincerrimus tantus erat, ut de salute ipsius maxime essent solliciti, praesertim cum acciperent eum in vincula coniectum esse. Ab hac igitur ut illos liberaret sollicitudine, necesse erat, ut quomodo se haberet, certiores fierent. conf. c. 1, 12.

Secunda.

2) *Secunda ratio* in eo ponenda est, *quod Philippenses Epaphroditum ad Paulum miserant, ut ad victum ipsi necessaria adferret,* & *suo*

(s) in *enchiridio biblico* pag. 895. (t) conf. Act. 21, 21. & diss. SAL. VAN TIL *de primi seculi adversariis sincerioris evangelii hostibus;* quae deprehenditur in *comment. in 4. epist. Pauli,* inprimis pag. 12-14. nec non pag. 256. ei. commentarii. Errat M. WALTHERVS in officina biblica pag. 1074. existimans occasionem omnem & proximam apostolo suppeditasse pseudo-apostolos, qui vincula ipsius & doctrinam de iustificatione proterve calumniabantur. Remotior quidem fuit sed non proxima.

& suo nomine illi inserviret c. 2, 25. c. 4, 10. 18. Pro hac amoris testificatione gratias ipsis agere voluit apostolus.

3) *Proxima* denique *ratio* erat *decretus Epaphroditi ad Philippenses reditus*, cui litterae dandae erant, ut Philippenses scirent, Epaphroditum fidelem se in referendis beneficiis & ministrando apostolo, praestitisse. Tertia & proxima.

§. 2. Sed hoc de *Epaphrodito* plura dicenda sunt, & quis fuerit, accuratius inquirendum. De Epaphrodito.

§. 3. Plures huius nominis fuerunt viri, probe tamen ab hoc distinguendi, quorum nonnullos nominabimus. Novimus *Epaphroditum libertum*, ab Augusto ad Cleopatram missum. DIO CASSIVS l. 51. p. 450. Fuit Romae quondam tempore imperatorum a Nerone usque ad Nervam, *grammaticus* quidam clarissimus EPAPHRODITVS dictus, ARCHIAE Alexandrini grammatici alumnus, de quo conf. SVIDAE lexicon edit. L. Küsteri Cantabrigiae 1705. tom. 1. pag. 790. Notus porro est EPAPHRODITVS *Neronis libertus* (u) eiusque a libellis, quo iuvante Caesar Nero ferrum iugulo adegit (v) propter quod auxilium praestitum a Domitiano capitali poena condemnatus est (w). Huic *Epictetus* serviit. Fuit quoque *Flavio Iosepho* autor suasorque ut historiam gentis suae conderet, cui etiam hocce opus a Iosepho dedicatum est. Miramur nonnullos V. C. IO. BAPT. OTTIVM (x), DAVBVZIVM (y), ABRAH. BERCELLVM (*) & SALDENVM, (**) hunc eundem fuisse cum illo, cuius in hac epistola mentio fit, putasse. Vide quae hoc de Epaphrodito disseruerunt FABRICIVS (z), ITTIGIVS (a) & cel. ELSNERVS l. c. pag. 103. Alius praeterea *Epaphroditus* reperitur, *Iosephus* etiam dictus, & opinionis a vera religione aberrantis, condemnatus (b). De omnibus his in praesenti non loquimur. Plures huius nominis fuerunt.

(u) TACITVS *annal.* l. 15. c. 35. n. 1. (v) ut refert SVETONIVS lib. 6. (w) idem lib. 8. (x) *in annotat. ad Iosephum tom.* 2. edit. Haverkamp. pag. 316. conf. WOLFIVS *in curis tom.* 3. pag. 240. (y) loco infra citando. (*) *praefat. ad* EPICTETI *Enchiridion* (**) ot. theol. p. 43. (z) *bibl. graeca* l. 4. c. 7. p. 257. (a) *in selectis capitibus hist. eccles. sec.* pag. 371. (b) vide *anathematismos quos illi qui e Manichaeis accedunt ad sanctam Dei ecclesiam catholicam & apostolicam, eloqui debuerunt*, apud COTELERIVM l. c. vol. 1. pag. 539. n. 1. 2.

§. 4. De illo vero *Epaphrodito* nobis sermo est, qui a Paulo in hac epistola tanta laude condecoratur. Multum inter eruditos disputatum est, sitne hic idem cum illo quem Paulus Colos. I, 7. 4, 12. & Philem. v. 29. EPAPHRAM appellat? Ita sentit inprimis GROTIVS ad h. l. ex nomine Ἐπαφρόδιτος per contractionem (ut vocant) Ἐπαφρᾶς factum esse putans, cuius rei nonnulla exempla in medium profert. Accedit huic sententiae MATTHAEVS POLVS (c), CAR. DAVBVZIVS (d), ABRAH. BERCELIVS (e). FABRICIVS lib. 4. bibl. graec. c. 5. p. 156. Hanc vero coniecturam refutarunt supra laudatus HOFMANNVS (f), IO. DAV. STROBACHIVS (g), ITTIGIVS (h), CALOVIVS (i), TOB. ECKARDVS (k), ven. ELSNERVS l. c. p. 103. 104. & alii.

De parentibus & patria eius.

§. 5. De *parentibus & patria Epaphroditi*, nihil nobis constat. HVGO GROTIVS ad *phrygiam gentem* eum refert. Alii *Philippis eum natum esse* verisimile existimant. A *parentibus gentilibus* eum natum fuisse, certius est. Fortasse tempore illo ad Castra Christi venit, quo Paulus Philippis ecclesiam fundavit.

Actorum sanctorum de illo fabulae.

§. 6. ACTA SANCTORVM (l) falso tradunt Epaphroditum Tarracinae in Italia primum episcopum fuisse, & a Petro apostolo ordinatum. Idem refert SIMEON METAPHRASTES (m) & FERDINANDVS VGHELLVS (n). Alii vero volunt Epaphroditum Adriae gessisse praesulatum. Quod affirmat DOROTHEVS in *synopsi* (o). Unde factum, quod BARONIVS tres Epaphroditos numeravit, nempe apostolum Philippensium, episcopum Tarracinensem, & Andracensem seu Hadriae ecclesiae, ut eo facilius diversas sententias conci-

(c) in *synopsi critic.* vol. 4. p. 790. (d) lib. 1. *de testimonio Christi apud Iosephum* parte 3. §. 8. Londini 1706. (e) *in praefat. ad Epicteti enchir.* (f) *Sect. 1. introd. in epist. ad Colos.* p. 32. 33. (g) *diss. de Epaphra* p. 5. 6. (h) *hist. eccles. sec. primi* p. 371. (i) tom. 4. *bibl. illustr.* p. 796. (k) *in non Christianorum de Christo testimoniis* c. 5. §. 4. pag. 92. Quedlin. 1725. Idem autor edidit *selecta non christianorum de Christo testimonia* Stadae 1703. pl. 2. quae ab hoc libro distinguenda sunt. (l) *tom. 3. Martii* p. 369. a IO. BOLLANDO. (m) in *sermone in natalibus apostolorum* die 29 Iul. (n) in *Italia sacra* tom. I. p. 1283 seq. edit. 2dae Venetiis 1727. (o) vide VGHELLVM l. c.

conciliaret. Vide *Epitomen annal. ei. opera* SPONDANI. Mogunt. 1614. pag. 109. Citius vero haec dicuntur quam probantur (p).

Num ex LXX discip. fuerit?

§. 7. IOACH. CAMERARIVS (q) exhibet versus graecos NICEPHORI cuiusdam XANTHOPVLI, de LXX *Christi discipulis*, qui etiam apud PRITIVM (r) leguntur, inter quos Epaphroditum fuisse dicitur, & quidem v. 36.

Ιȣστος, Ἐπαφρόδιτος, αρτεμας τε, και
Κλημῆς ὃν ἠριθμȣν δε δεκατον ἑξακις &c.

Ad quod collegium LXX Christi discipulorum Epaphroditus etiam refertur ab *actis sanctorum* & VGHELLO l. c. Cum vero huic catalogo nulla fides tribuenda (a), nihil quoque exinde probari potest.

Doctor Philippensium fuit.

§. 8. Id tandem extra omnem dubitationis aleam positum est, Epaphroditum Philippensium *doctorem* fuisse. Συνεργον enim illum vocat apostolus, quod verbum in N. T. semper ministrum verbi indicat (b), *συζυγον γνησιον collegam* s. *comparem sine fuco* c. 4, 3. Ita enim verba accipi debere, ostenderunt VATABLVS, TOSSANVS, GROTIVS in h. l. MILLIVS (c), CALOVIVS (d), cl. HEVMANNVS (e), VEN. BENGELIVS (f), SAL. VAN TIL (g), clar. HOFMANNVS (h) WOLFIVS (i) & ELSNERVS l. c. p. 1034. 1035. Alii per *συζυγον coniugem Pauli* intellexerunt, e. g. CLEM. ALEXANDR. (k), EVSEBIVS (l), BVLLIGERVS, HYPERIVS, FLACIVS, ERASMVS, ZANCHIVS, ARETIVS, LVTHERVS, IO. ERNEST. GRABE (m), C. G. KOCHIVS (n), RVS (o), OEDERVS (p). Alii denique nomen proprium esse volunt, v. c. *versio*

Cap. IV, 3. vox *συζυγος* explicatur.

(p) conf. M. IO. ANT. SIEPII *diss. de Epaphrodito Philippensium apostolo* Lipsiae 1741. pag. 10-15. (q) in *hist. Iesu Christi* pag. 188. (r) l. c. p. m. 285 & 286. (a) conf. KAPPII *nota ad cap. 20. intr. Pritii* p. m. 284. HENR. MAJI *harmonia evangel.* p. 1637. (b) conf. Rom. 16, 3. 9. 21. 2 Cor. 8, 23. Col. 4, 11. 1 Thes. 3, 2. Philem. v. 24. (c) l. c. pag. 8. (d) *tom. 4. bibl. illustr.* p. 787. (e) de *coniuge Paulina*, quae est disp. prima in triga schediasmatum exegeticorum Ienae 1738. (f) in *gnomone N. T.* pag. 806. 807. (g) l. c. pag. 310. (h) *apud Pritium* p. m. 244. (i) *tom. 3. cur. philol.* pag. 262. (k) *Strom. II.* p. 448. (l) *hist. eccles.* l. 3. c. 30. (m) *in notis ad tom. 1. spicil. patr.* sec. 2. pag. 230. (n) de *Pauli coniugio.* Flensburgi 1707. (o) in *harm. evang. tom. 1.* pag. 580. (p) in *centuria coniecturarum* Lipsiae 1733. pag. 317-322.

Apostolus vocatur & cur? *versio arabica*, CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS (q). Denique Philippensium ἀποστολον vocat. Quod nomen hic vel quendam a Paulo ad Philippenses (r) vel melius a Philippensibus ad Paulum missum, significat, ita ut pronomen ὑμων sit genitivus subiecti (s). Accipimus igitur vocem ἀποστολος non sensu strictissimo de duodecim illis κατ' ἐξοχην ita dictis, sed latiori & primo, ut quemvis *legatum*, & hic *legatum Philippensium* indicet. Nonnulli quidem putarunt, Epaphroditum propterea ita dici, quia ad praedicandum evangelium adhibebatur, & a Paulo missus erat ad ecclesiam Philippensium confirmandam, & instituendos in ea presbyteros & episcopos v. c. WALO MESALINUS (vero nomine CLAUDIUS SALMASIUS) (t), BLACKWAL (u), ven. HOFMANNUS (v) & cel. ELSNERUS l. c. pag. 707. at minus verisimile. Indicat enim Paulus, propterea a Philippensibus missum esse, ut esset λειτουργος της χρειας αυτου, seu ut ipsi munera ad victum necessaria, deferret (w). Δι' αυτου γαρ ἠσαν αυτω, inquiunt *graeci commentatores*, τα προς χρειαν πεμψαντες, διο αποστολον εκεινον και της οικειας χρειαν λειτουργον αυτον καλει.

Num ecclesiae Philippens. episcopus fuerit. §. 9. Iam vero alia quaestio oritur, num Epaphroditus ecclesiae quae Philippis erat, *episcopus* dicendus? Episcopum seu inspectorem reliquorum doctorum Philippensium, huic ecclesiae praefuisse, quidam inde probare voluerunt, quia apostolus τους επισκοπους in principio epistolae suae salutat (x). Quod si vero

(q) vide WOLFIUM l. c. pag. 261-263. & IO. ANDR. SCHMIDIUM *de apostolis uxoratis, in decade dissert.* Helmst. 1714. pag. 358-372. (r) Tit. 1, 15. (s) conf. 2 Cor. 8, 23. nec non THEODORETUS, CLERICUS ac BEAUSOBRIUS, quibus haec interpretatio placuit, a WOLFIO vol. 3. cur. phil. pag. 240. allegati nec non VITRINGA *de synagoga* lib. 3. part. 2. c. 3. p. 913. (t) *de episcopis & presbyt.* Lugd. Batav. 1641. diss. 1. (u) in *auctoribus classicis sacris* p. 174. (v) *sect. 1. introd. in epist. ad Colos.* pag. 31. (w) vox enim χρεια per meton. saepe numero eleemosynam denotat. Act. 2, 25. 4, 35. 6, 2. 20, 34. 28, 20. Ephes. 4, 28. Philip. 4, 16. λειτουργος est quivis minister publicus, cui plurium nomine aliquid demandatur. (x) obs. Quidam hic legunt συνεπισκοποις, ac si unica dictio esset, *coepiscopis*, ut VATABLUS *tom. 5. critic. sacr.* ad h. l. & HILARIUS, quam vero lectionem omnes fere codices reiiciunt. vide WHITBY *in examine var. lectionum* pag. 69.

consideratur hanc coniecturam eo fundamento niti, quoniam ante constituunt, Philippos metropolin Macedoniae fuisse, haec autem sententia supra Sect. 3. refutata sit, apparebit, inde nihil probari posse. Optime igitur per τὺς ἐπισκόπὺς doctores huius ecclesiae omnes intelliguntur. Id quod evincitur 1) inde, *quia voces* ἐπισκοπος & πρεσβυτηρ *in libris N. T. promiscue usurpantur*, unde haud difficulter colligitur, apostolorum aetate episcopis & presbyteris parem & communem fuisse dignitatem, nec illos prae his maiorem habuisse autoritatem, (y) 2) *quia versio Syriaca semper fere verbo* קַשִּׁישׁוֹ *quod presbyterum significat, utitur, si textus graecus verbum* ἐπισκοπος *legit*, & קַשִּׁישׁוּתוֹ *presbyterium, si textus* ἐπισκοπη *habet.* Huius rei exempla habes 1 Tim. 3, 1. 2. Tit. 1, 7. immo ipsa verba nostrae epistolae, c. 1, 1. συν ἐπισκοποις και διακονοις ita vertit: עַם קַשִּׁישֵׁו וַמְשַׁמְשָׁנֵה *cum senioribus & ministris. Huius autem versionis nulla alia excogitari potest ratio, praeterquam quod haec versio istis temporibus elaborata est, quibus nihil inter nomina* ἐπισκοπος & πρεσβυτερος *intererat*, observante BEVERIGIO (z), 3) *quia uno loco unicus tantum episcopus praefuit, hic vero* ἐπισκοποι *appellantur, non* ἐπισκοπος? Unde CHRYSOSTOMVS: τι τὺτο; inquit, μιας πολεως πολλοι ἐπισκοποι ἠσαν; ὐδαμῶς. ἀλλα τὺς πρεσβυτερὺς ὔτως ἐκαλεσε. Τοτε γαρ τεως ἐκοινωνὺν τοις ὀνομασι, και διακονος ὁ ἐπισκοπος ἐλεγετο. Nec non THEOPHYLACTVS & OECVMENIVS: ὐκ ἐπειδη ἐν μιᾳ πολει πολλοι ἠσαν ἐπισκοποι, ἀλλ᾽ ἐπισκοπους τὺς πρεσβυτερους καλει. Τοτε γαρ ἐτι ἐκοινωνὺν τοις ὀνομασι, και οἱ ἐπισκοποι διακονοι και πρεσβυτεροι ἐκαλὸυντο, και ἐμπαλιν οἱ πρεσβυτεροι ἐπισκοποι. 4) Denique episcopis non Diaconi solum verum & presbyteri adiuncti fuissent. Per *diaconos* autem h. l. commode *eleemosynarii* intelliguntur, licet celeb. WOLFIO ad h. l. non videatur. De quibus conf. Act. 6, 1. 1 Tim. 3, 8-13. CAVE (a) & CASP. ZIEGLERVS (b). Inter presbyteros autem & episcopos apostolorum tempore nullum discrimen fuisse, demon-

Apostolorum tempore nullum inter episcopos & presbyteros fuit discrimen.

(y) conf. Act. 20, 17. coll. v. 28. 1 Tim. 3, 1. 2. 15. 17. Tit. 1, 5. coll. v. 7. coll. Rom. 11, 5. Ephes. 4, 11. 1 Petri 1, 2. (z) in *annotat. in can. secundum apostolicum.* (a) erstes Christenthum parte 1. c. 8. (b) de *diaconis & diaconissis* cap. 3. §. 26.

demonstrarunt MENOCHIVS, GROTIVS, ERASMVS (c), SVICERVS (d), CALOVIVS (e), WALO MESSALINVS (seu Claud. Salmasius) (f), DAV. BLONDELLVS (g), ZIEGLERVS (h), BEVERIGIVS, (i) DAV. CLARCKSONVS (k), BVDDEVS (l), ILLVSTR. BOEHMERVS (m), VITRINGA (n), VEN. WALCHIVS (o), RICH. BENTLEY (p), DE LA ROCHE (q), PETAVIVS (r), HILDEBRAND (s), SAL. VAN TIL (t), D. SALTHENIVS (u), WOLFIVS (v), VEN. HEVMANNVS (w), aliique multi ab his autoribus passim allegati. Aliter paululum sentit Ven. abbas MOSHEIMIVS (x) conf. S. R. WEISMANNI *hist. eccles.* tom. 1. & I. A. FABRICII *bibliogr. antiq.* pag. 447 seq.

THEODORETVS (y) docet quidem per episcopos intelligi debere presbyteros, sed Epaphroditum qui tum Paulo aderat, & per quem epistolam misit, Philippensium episcopum fuisse ostendit: *τον δε γε μακαριον Επαφροδιτον εν αυτῃ τῃ επιςολῃ αποςολον αυτων κεκληκεν σαφως τοινυν εδιδαξεν ὡς την επισκοπικην οικονομιαν αυτος επεπιςευτο εχων αποςολου προσηγοριαν.* Et denuo ad cap. 2, 23. sententiam suam plenius explicantem habemus ad 1 Tim. 3. (z) Hanc igitur

(c) & alii *apud* POLVM *in synopsi* vol. 5. pag. 789. (d) tom. 1. *thes. ecclesiast.* p. 1176. (e) *tom. 4. bibl. illustr.* p. 737. (f) diss. *de episcopis & presb.* Lugd. Batav. 164. pag. 433 - 442. (g) in *apologia pro sententia Hieronymi de episcopis & presbyteris* Amstel. 1646. (h) *de episcopis* l. 1. c. 4. pag. 50 - 73. (i) l. c. (k) *de statu primitivo episcopatus, & de liturgiis.* Roterd. 1716. (l) *de eccles. apostolica* p. 732. f. cap. 6. §. 5. eiusd. *praef. ad Binghami origenes* pag. 9 seq. & diss. *de origine & potestate episcoporum, contra Dodwellum.* Ienae 1705. pag. 29 seq. (m) *diss. iur. eccles. antiq.* p. 397. & *in instit. iur. can.* pag. 80. (n) de *synagoga* l. 2. c. 1. p. 477. & in *Archysynagogo* Franeq. 1685. pag. 72 - 74. (o) diss. *de Tito viro apostolico* Ienae 1741. pag. 34. 35. & in *hist. eccles. 4. prior. secul.* pag. 436. seq. (p) in *limine partis 2. observ. super diss. de libertate cogitandi.* (q) *biblioth. anglic.* parte 2. pag. 438. (r) in *dogm. theol.* tom. 4. p. 169. s. (s) in *comment. de episcopis* rec. Helmst. 1745. pag. 10 - 16. (t) l. c. pag. 261. (u) in *diss. contra Heinzelmannum de Diaconis Neophytis.* Regiomonti 1739. p. 3 - 7. (v) vol. 1. cur. phil. pag. 1307. vol. 3. p. 436. (w) *in Poecile* tom. 1. lib. 2. pag. 307. (x) *in instit. hist. ecclesiast.* N. T. Francof. & Lips. 1726. pag. 66 seq. (y) in *epist. ad Philip.* c. 1, 1. (z) vide IOH. PEARSONII *vindicias epistolarum S. Ignatii ap. Cotelerium* vol. 2. p. 409. 410.

tur THEODORETI sententiam si assumeremus, dicendum esset, Paulum Epaphroditum ad Philippenses remissum ordinasse, & apostolica sive episcopali auctoritate donasse, Philippenses propterea admonens, ut eum cum omni gaudio in domino exciperent. c. 2, 29. Sed omnia nil nisi coniecturae sunt, nec extra omne dubium poni possunt. Nec verisimile videtur, Epaphroditum maiori autoritate praeditum fuisse ac reliqui huius ecclesiae episcopi & diaconi, licet hanc urbem Epaphroditi episcopatu nobilem vulgo credant. (a) Id adhuc observari potest BEVERIGIVM (b) putare, *ex eo quod Philippenses S. Pauli necessitatibus toties subministrarunt, & ipse ad eos prae aliis divinam hanc epistolam mittere dignatus est, praecipue autem quod ecclesia Philippensis ab eo primo fundata est* Actor. 16. *D. Paulum iis peculiari modo aliquamdiu, hoc est, usque dum alium sui decessus loco substituisset, praefuisse, non inepte coniici.*

§. 10. Praeter illa quae Paulus cap. 2. de Epaphrodito dixit, & iam a me commemorata sunt, nihil de illo novimus. FERDINANDI UGHELLI fabulam iam mitto, qui nobis persuadere vult, Tarracinae in Italia Epaphroditum in pace decessisse, post plantatam in ea civitate christianam fidem, assidua plenaque fervoris praedicatione kalend. Maj. s. Martii 22. ex *martyrologio*. — De morte Epaphroditi.

§. 11. De eo vero non est quod dubitemus, *per manus Epaphroditi hanc epistolam Philippensibus traditam fuisse*. Id enim non subscriptio solum textus graeci & versionis Syriacae confirmat, verum etiam ex epistola ipsa colligitur cap. 2, 25. 28. 29. coll. c. 4, 18. (c). — Tabellarius epistolae fuit.

I. H. HEIDEGGERVS (d) sequentia observat: *Per Timotheum etiam missam esse, uti habet arabica versio probabile non est, tum quia c. 2, 19. Paulus significat, se brevi ad eos missurum Timotheum, tum quia epistola nomine Pauli & Timothei scripta est.* Sed evolvi biblia polyglotta Londini 1657. apud THOMAM ROYCROFT excusa, nullumque — Heideggeri error notatur.

F 2

(a) observante SPANHEMIO tom. I. oper. pag. 115. ita v. c. sentit BEVERIGIVS *annot. ad canon. apost.* tom. I. COTELERII pag. 458. (b) apud COTELERIVM l. c. vol. I. pag. 455. vol. I. (c) conf. SAL. VAN TIL *comment. in 4. epist. Pauli* pag. 255. (d) l. c. pag. 896. Habet haec ut postea vidi, ex LVDOV. CAPELLI *historia apostolica* Francof. & Lipsiae 1691. pag. 124.

que vestigium huius rei in versione arabica deprehendi, legi potius in fine epistolae haec verba: *scripta vero fuit Romae, & missa per Epaphroditum.* Unde igitur HEIDEGGERVS haec habeat, nescio. Id vero certum est, *versionis Copticae* subscriptionem ita sonare: δια Τιμοθεȣ και Επαφροδιτȣ &c.

Haec sunt quae de occasione & tabellario epistolae dicenda fuerunt. conf. de EPAPHRODITO supra citata §. 6. annot. (p) dissertatio MAG. SIEPII.



SECTIO VIII.

DE SCOPO HVIVS EPISTOLAE.

§. 1.

Scopus quem sibi apostolus, cum exararet hanc epistolam, proposuerat, potissimum triplex est.

Scopus primus.

§. 2. *Primus* sine dubio est, *ut ad constantiam in incorrupta evangelii doctrina illos hortaretur* (e). Id volunt omnes adhortationes quibus hae litterae repletae sunt. conf. c. 1, 27. 28. c. 2, 15. 16. c. 4, 1. &c. Huc iterum quatuor momenta pertinent, 1) in eo autor est, ut avertat ne scandalum ex calamitatibus suis capiant, & contrariis rumoribus praeoccupentur. Quapropter fructus calamitatum propter Christum susceptarum exoptatissimos enumerat c. 1, 12. 27 seq. Provocat hunc in finem ad praeclarum Christi exemplum c. 2, 8 seq. qui per aspera ad astra evectus est. Hostes vero crucis Christi misere perire affirmat. c. 3, 18. 2) dissuadet immoderatum hominis cuiusdam suique inprimis amorem, fidemque in illo repositam, fiduciam illis commendans in Deo collocatam, cui neque facultas, neque voluntas suos fovendi & conservandi deest. c. 1, 6.

3) de

(e) CALOVIVS *in bibl. illustr.* tom. 4. p. 736. LVTHERVS: in hac epistola laudat & hortatur S. Paulus Philippenses, ut permaneant & pergant in vera fide, ac proficiant in charitate.

3) de ratione & praestantia amicitiae & communionis cum Christo, quae fide contrahitur & stabilitur, illos convincere studet. Eiusmodi communionis cum Christo arctissimae ex Paulo ipso exemplum sibi Philippenses sumere poterant, quem in finem se ipsum illis repraesentat c. 3. quod totum caput hanc rem praeclare explicat. 4) denique indicat, quid omnibus his subsidio esse possit & auxilio. Postulat nimirum assiduas & ardentes preces c. 4, 6. exercitium certaminis fidei c. 2, 11-14. vivam cognitionem Christi, & præclari perpessionum malorum eius exitus. c. 2, 5-9 seq. & denique veram caritatem, concordiam & humilitatem c. 1, 27. c. 2, 1-4. c. 3, 16. c. 4, 2.

§. 3. *Secundus* finis est, *ut de suo erga eos amore & grato animo certiores illos reddat*, quod praestitit 1) narrando, quomodo suae ipsius res in praesenti se haberent c. 1, 12-26. 2) testando suam eorum recordationem, cum ardentissimis precibus pro illorum salute coniunctam c. 1, 3. 3) promittendo ablegationem Timothei & Epaphroditi proxime futuram, immo sui ipsius ad eos profectionis spem faciendo c. 1, 24-27. c. 2, 19-30. 4) commemorando & gratias agendo pro acceptis a Philippensibus beneficiis c. 2, 25. 4, 10-19. Secundus.

§. 4. *Tertius* denique scopus est, *ut sollicitudine illos liberarent & moerore*, in quem tam Pauli quam Epaphroditi caussa inciderant, & ad gaudium in domino illos excitaret c. 2, 18. s. 28. 29. c. 4, 4. Tertius.

§. 5. Dictis his addi meruerunt effata patrum quorundam, v. c. CHRYSOSTOMI (f) dicentis: *ἐιτα και περι ὑπομονοιας συμβϛλευει και ταπεινοφροσυνης, ταυτην ειναι ασφαλειαν αυτοις διδασκων μεγιϛην, και ὅτω των εχθρων αυτϛς ευκολως δυνασθαι περιγενεσθαι.* THEODORETI: *δια τϛτο ταυτην γεγραφε την επιϛολην, και την της αγαπης ἀυτων αποδεχομενος προθυμιαν, και παραινων τα προσηκοντα, μαλιϛα δε αυτοις παρεγγυᾷ φευγειν την εξαπατην των εκ Ιϛδαιων μεν πεπηϛευκοτων, συνηγορειν δε πειρωμενων τῳ νομῳ, και διαφθειρειν επιχειρϛντων το σωτηριον κηρυγμα.* Et OECVMENII: *και πρωτον μεν αποδεχεται αυτων την πιϛιν, και σημαινει μνημονευειν ἀυτων - - επειτα ἀυτϛς προτρεπεται αλληλϛς αγαπᾶν, εξηγϛμενος την τϛ σωτηρος φιλανθρωπιαν, ὁτι θεος ὠν, ανθρωπος γεγονε δἰ ἡμας.* Verba Chrysostomi Theodoreti & oecumenii.

Conf. LVTHERVS (g), CALOVIVS (h), CASTALIO (i), HEDINGERVS (k), Sal. van TIL (l) inprimis b. D. FRANCKIVS (m), nec non Ven. SALTHENIVS (n) & cel. ELSNERVS l. c. pag. 105.



SECTIO IX.

DE INTEGRITATE HVIVS EPISTOLAE.

§. 1.

Integritas explicatur.

Iam inquirendum est, utrum integra & incorrupta haec epistola ad nos pervenerit, an non? Magni omnino hanc disquisitionem momenti esse, quisque intelligit. Quis enim librum aliquem inter principia tam credendorum quam agendorum refert, de cuius incorrupta integritate adhuc dubitat? In eo autem omnes conveniunt, superstitem adhuc esse tam quoad litteras quam verba & sensum hanc epistolam, ita ut a Paulo ad Philippenses missa est. Hoc ne ita interpreteris, ac si nulla corrupta huius & aliarum epistolarum Pauli immo totius sacri codicis adessent apographa; contrarium enim variarum lectionum ostendit copia. Sed incorrupta quam defendo integritas, in eo consistit, quod textus huius epistolae per omnia idem, & ab omni alieni manus corruptione immunis conservatus fuerit, qualem scriptor sacer consignavit.

Depravata & corrupta quibusgam dicitur.

§. 2. EPIPHANIVS quidem (o) *hanc epistolam a* MARCIONE *depravatam* dicit, verbis: εχει δε και επιςολας παρ' αυτω τε ἁγιε αποςολε δεκα, ἁις μοναις κεχρηται. ε πασι δε τοις εν αυταις γεγραμμενοις, αλλα τινα ἀυτων περιτεμνων, τινα δε αλλοιωσας κεφαλεια

(f) *in homil. in epist. ad Philippenses.* (g) *in praefamine in hanc epistolam.* (h) *tom. 4. bibl. illustr.* p. 763. (i) *tom. 5. critic. sacror. in* hanc. epistolam. (k) *in N. T. notis illustrato* pag. 754. 755. (l) l. c. pag. 257. (m) *de scopo librorum* V. & N. T. Halae 1724. pag. 135-138. (n) in *introduct. in libros V. & N. T.* Regiomonti 1736. pag. 79. (o) *advers. haereses,* haeresi 42.

φαλεια --- Επιςολαι δε αἱ παρ' αυτω λεγομεναι εισι, πρωτη μεν προς Γαλατας --- δεκατη προς Φιλιππησιους. Item, ὡσαυτως ϗδε ἀπ' αυτῆς δια το διαςροφως παρ' αυτω κεῖσθαι, ϗδεν εξελεξαμεθα, *ab hac quod vitiata penitus esset ac corrupta, nihil seligendum duximus.* Sic v. c. si AMBROSIO & AVGVSTINO credimus c. 3, 3. lectio vera est πνευματι Θεϗ *spiritui Dei*, altera vero quam in nostris legimus editionibus, πνευματι Θεῷ, *spiritu, Deo servientes*, haereticorum, qui spiritum sanctum Deum esse negabant, corruptela. At CLERICVS (p) spuriam eam habet, consentientibus multis aliis, quos vide ap. WOLFIVM (q).

Caeterum superfuerunt tunc temporis multa alia apographa incorrupta, ex quorum comparatione corruptiones facile detegi poterant, & detectae sunt. Imo autographum Apostoli ipsi TERTVLLIANI tempore adhuc conservabatur a Philippensibus (*).

§. 3. Nec defuerunt viri magni nominis, qui maximam operam in purgando & restituendo textu navarunt, ex quorum numero celeberrimos viros MILLIVM, WOLFIVM & BENGELIVM honoris caussa nomino. Continuatio.

§. 4. Idem probant antiquissimae versiones, inprimis syriaca. Quibus testibus addi denique potest, quod singula commata a patribus primorum post N. C. seculorum passim allegata, scriptisque eorum inserta, hanc intemeratam conservationem sufficienter probant. Quae comparatio licet esset utilissima, multum tamen tum temporis tum laboris requireret, nec a me iam institui potest, nisi propositi essem immemor. Confirmatio.

Omitto iam alias rationes quae huius integritatis fidem facere possunt, ex fine huius & omnium librorum V. & N. T. divinisque perfectionibus, & impossibilitate corruptionis sumtas.

SECTIO

(p) *in arte critica* parte 3. Sect. 1. c. 15. p. m. 235. vol. 2. Lipsiae 1713.
(q) l. c. ad h. l. (*) TERTVLLIANVS de praescript. adv. Haereticos cap. 36. pag. 388.

SECTIO X.

DE SCRIBA EPISTOLAE.

§. 1.

Scriba non Timotheus.

De ſcriba huius epiſtolae nihil certi nobis conſtat. ZANCHIVS iam olim putavit *Timotheum forte ſcriptorem epiſtolae* eſſe dictante Paulo (r). Idem ſentit cel. Goettingenſis theologus D. CHRIST. AVG. HEVMANNVS, quam ſuam coniecturam divulgavit anno 1739. in *epiſtola* quadam *gratulatoria ad D. Cottam, de ſcribis epiſtolarum Pauli.* ESTIVS autem (s) & cl. HOFMANNVS (t) hanc ſententiam refutarunt. Ipſe quoque Ven. HEVMANNVS ſententiam ſuam non certam venditat, ſed probabilem illam tantum nominat.

An Epaphroditus.

§. 2. Alii *Epaphroditi manu in exarandis his litteris Paulum uſum fuiſſe* putant, nec omni ſententia haec deſtituta eſt veri ſimilitudine. Id vero evictum dare, nemo ut opinor in ſe ſuſcipiet, quod in huiusmodi caſibus ne quidem poſſibile, cum nulla expreſſa ſcribae mentio facta ſit, nec circumſtantiae adſint, unde ſumma huius coniecturae probabilitas probari poſſet. Nec hoc quis mirabitur, conſiderans nos etiam aliarum epiſtolarum Pauli v. c. ad Coloſſenſes, Epheſios, Philemonem, ſcribas neſcire, quod tamen divinae harum epiſtolarum auctoritati nihil detrahit.

Θεοπνευςία non repugnat ſi ſtatuamus, Paulum ſcribae opera in hac epiſtola uſum fuiſſe.

§. 3. Praeterea, fac etiam Paulum ipſum hanc epiſtolam manu ſua non ſcripſiſſe, ſalva tamen manet eius divina autoritas. Satis enim viri eruditisſimi demonſtrarunt, quod licet ſcribae mentem apoſtoli recte ubivis non percipientes, litteris eandem non accurate expresſiſſent, & mendae quaedam irrepſiiſſent, tamen apoſtolum dictitatas litteras perlectas ac relectas ſigno quodam confirmaſſe, ex quo illi ad quos mittebatur genuinas eſſe agnoſcebant, quod ex 2 Theſ. 3, 17. certum eſt. Id Paulus ſine dubio etiam in noſtra epiſtola obſervavit, ſi amanuenſe uſus eſt. Fortaſſe vero ipſe

(r) ap. POLVM *in ſynopſi critic.* vol. 5. pag. 789. (s) l. c. apud. POLVM. (t) *Sect. 2. introd. in epiſt. ad Coloſ.* pag. 6.

ipse manu sua illam scripsit, quod vincula, quibus constrictus erat, non impediebant. Per urbem enim deambulare, amicos invisere, caeteraque negotia exsequi poterat, quia custodiae non inclusus, sed catena ferrea militi custodi more Romanorum saltem adligatus (u) conf. ven. HOFMANNVS l. c. nec non M. SIEPIVS de Epaphrodito pag. 29-32. & Ven. D. HAVBERVS (v) loco infra citato, ubi sententiam suam de scribis litterarum apostolicarum dixit.



SECTIO XI.

DE LOCO INTER EPISTOLAS PAVLI.

§. 1.

De loco, qui in ordine librorum canonicorum huic epistolae tribuendus, etiam aliquid notandum est. Generatim vero eruditi (w) observarunt, in dispositione ordinis epistolarum Paulinarum fuisse urbium, provinciarum, ecclesiarum & hominum quibus sunt missae, non autem ipsius argumenti vel temporis quo scriptae sunt (x) rationem habitam. Ita enim GROTIVS: epistolae paulinae non temporis ordine locatae sunt ab iis, qui eas primi in unum volumen compegerunt; sed pro dignitate eorum ad quos scriptae sunt. Et FLACIVS observat, plerasque epistolas Paulinas valde ad singularum ecclesiarum, aut personarum rationes, circumstantiasque esse accommodatas. conf. RVMPAEI *commentatio critica ad libros N. T. in genere. Lipsiae* 1730. pag. 98 seq.

De dispositione ordinis epist. Pauli generatim.

G §. 2. Iam

(u) Id apud Romanos in more fuisse, ex epist. 5. SENECAE scimus, ubi verba leguntur: *eadem catena & custodiam* (i. e. eum qui custoditur) *& militem copulat.* (v) in Betrachtungen der ersten Gläubigen und Lehrer der christlichen Kirche pag. 55-59. (w) v. c. M. WALTHERVS *in officina biblica* pag. 1065. Wittenb. 1668. CALOVIVS *tom. 2. bibl. illustr.* pag. 6. ven. D. BAVMGARTEN *parte 1. hist. eccles.* p. 326. 327. cel. RAMBACHIVS *in introd. in epist. ad Rom.* pag. 127 seq. & cl. I. P. REVSCHIVS l. c. (sect. VI.) pag. 295 seq. (x) Posterius demonstrare fuit adnisus. IO. ENSIVS *in bibl. sacra.* pag. 295 seq.

De loco huius epistolae.

§. 2. Iam de hac epistola singulatim disputandum est. Teste EPIPHANIO haeresi 42. κειται παρα τω Μαρκιωνι εχατη και δεκατη inter epistolas Pauli. Hinc igitur illo ordine de Pauli epistolis TERTVLLIANVM videmus differentem lib. 5. HIERONYMVS vero (y) *quid habeant proprium*, inquit, *in N. T. Romani, Corinthii, Galatae*, PHILIPPENSES, *Thessalonicenses, Hebraei, Colossenses, & quam nunc ad Ephesios epistolam habemus in manibus?* At EPIPHANIVS refert, apud apostolum εκτην seu *sextam* esse. Et hic ultimus locus & olim illi fuit concessus, & iam in omnibus N. T. editionibus ipsi conceditur, ita ut praecedat epistola ad Ephesios,* & sequatur ad Colossenses (z). Eundem ordinem observavit SYNODVS LAODICENA, in recensione librorum canonicorum *canone* 59 vel 60. επιςολαι Παυλȣ δεκατεσσαρες προς Ρωμαιους μια, προς Κορινθιȣς δυο, προς Γαλατας μια, προς Εφεσιους μια, προς ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ μια &c. nec non AVGVSTINVS l. c. etsi in libro contra adversar. leg. & proph. (a) epistolas ita disposuerit: *quaero ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Colossenses*, PHILIPPENSES, *Thessalonicenses, quando loquebatur apostolus.* Idem apparet ex IAMBIS AMPHILOCHICI ad *Seleucum* (b) ATHANASII *fragmento epist.* 39. (c) & *prologo* illo antiquo in epistolas Pauli, quem I. H. BOECLERVS primum ex antiquissimo MSC. in lucem edidit (d): εκτη δε τετακται ἡ προς Φιλιππησιους. Addo verba ENSII (e) *quod Philippensis ecclesia non tam clara fuit quam Ephesina, non est ut dubitemus. Unde merito epistola ad Philippenses post epistolam ad Ephesios posita est. Celebrior tamen fuit haec ecclesia quam illa quae colligebatur Colossis &c.* Vide etiam quae Rumpaeus hoc de ordine disseruit (f).

Quemnam locum occuparet si secundum tempus scriptionis epist. collocarentur.

§. 3. Quod si vero secundum tempus epistolae Paulinae collocarentur, quo exaratas esse diverse statuitur, diversum etiam locum haec epistola acciperet. Sic enim ex mente IO. CLERICI esset quinta, IAC. VSSERII sexta; SANDHAGENII & SAL. VAN TIL, PEARSONII,

(y) *praefat. in epist. ad Ephesios.* (z) vide IOH. ENSII *bibliothecam sacram* Amstel. 1710. pag. 228. item pag. 252 seq. (a) lib. 2. c. 2. (b) de quibus sect. 2. §. 1. dixi. (c) de quo ibid. (d) Reperitur hic prologus *tom. 5. critic. sacr.* pag. 2183-2186. & apud FRITIVM l. c. p. m. 268. (e) l. c. pag. 292. s. (f) l. c. pag. 104.

NII, MILLII, FABRICII, ZEIBICHII, KLEMMII, REINECCII, RAMBACHII ſeptima; G. ARNOLDI, LANGII, HOTTINGERI, octava; CAPELLI & VEN. BAVMGARTEN, nona; PETAVII, ALSTEDII decima, BARONII, HAMMONDI undecima.

Paulum verro ipſum epiſtolas ſuas in unum volumen non collegiſſe, nec ordinem epiſtolarum ſuarum conſtituiſſe, notum eſt omnibus.



SECTIO XII.

DE ARGVMENTO, PARTITIONE ET ANALYSI EPISTOLAE.

§. I.

De argumento.

*A*rgumentum huius epiſtolae ex ſcopo, quem ſibi apoſtolus propoſuerat, ſatis apparet. Obſervarunt commentatores plures adhortationes quam dogmata in illa deprehendi, etſi nec haec plane neglecta ſint, ſiquidem fundamentales illi articuli de Ieſu Chriſto, vera iuſtitia & iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, prolixe tractantur, & ad Chriſtum imitandum lectores invitantur (g). In ſupra citato prologo graeco, quem BOECLERUS divulgavit, de argumento epiſtolae ſequentia leguntur:

> *Εκτη δε τετακται ἡ προς Φιλιππησιους, κατα προσαυξησιν πιστοις ὁμου και καρποφοροις, οἷς και μαρτυρον τα καλλιστα παρων εγνωκεναι, προτρεπεται και αποντος μαλιστα προσθεῖναι. αντιδιαστελλεται δε ἡ επιστολη αυτη τοις Κορινθιοις. τοις μεν γαρ ελεγον μιμηται μου γινεσθε. τοις δε Φιλιππησιοις, συμμιμηται μου γινεσθε. αλλα και στεφανον ἀυτου και χαραν αυτους ονομαζει, τοσουτον οὗτοι διαλαμπουσι κορινθιων.*

HEIDEGGERVS (h) bene de argumento ita diſſerit: *agit epiſtola haec de*

(g) vide STARCKII *ſynopſin* b. c. tom. 3. p. 153. (h) *in enchiridio biblico* pag. 895.

de rebus gravissimis. Charitatem suam erga Philippenses enixissimam declarans apostolus, de fructu vinculorum apud eos disserit: ad sanctam conversationem, concordiam, fortitudinem stimulat: Christum humilitatis exemplum proponit, eiusque tum humilitatem, tum gloriam explicat: malos operarios, canes, concisionem insectatus, iustitiam Dei veram a falsa distinguit; perfectionem commendat, docens, quomodo uno canone incedere possint: christianam conversationem dignam coelesti politia, explicat; denique consolatur, exhortatur, & ob liberalitatem sibi praestitam, laudat. Nulla Pauli epistola perinde pathetica est & paternis magis affectibus referta.

Ven. abbas BENGELIVS (i) summam epistolae duobus his verbis comprehendit: *gaudeo, gaudete.* Vide etiam CHRYSOSTOMI, THEODORETI & OECVMENII verba apud MILLIVM *in N. T.* quae supra sectione 8. §. 5. contraxi, SAL. VAN TIL (k) & celeb. REVSCHIVM l. c. (Sect. VI.) pag. 20.

Partitio in κεφάλαια. §. 2. De *partitione* epistolae observa ZEITFVCHSIVM secundum quatuor huius epistolae capita, in tot illam partes dividere, ita ut c. I. occurrat adhortatio ad constantiam in fide cap. 2. ad humilitatem c. 3. ad prudentiam Christianam c. 4. ad concordiam virtutes. Quae tamen divisio minus accurata. HEIDEGGERVS (l) etiam assumit, complecti hanc epistolam tot partes quot capita, ita ut cap. I. deprehendatur testificatio amoris Pauli erga Philippenses, c. 2. adhortatio ad unitatem c. 3. praemonitio a seductoribus. c. 4. hortatio ad concordiam. MICH. WALTHERI l. c. divisio epistolae in duas partes, apologeticam cap. 1 & 3. & didascalicam, cap. 2 & 4. multo minus arridet. Aliam suppeditavit laudatus STARCKIVS l. c. Placet prae aliis nova illa cel. SCHÖTGENII (m). Hic epistolam in *quinque sectiones* dividit.

Prima incipit a cap. I. v. I. usque ad v. II. & comprehendit prooemium.

Secunda

(i) *in Gnomone N. T.* pag. 793. ad com. 4. cap. I. (k) l. c. pag. 257. 258. (l) l. c. pag. 896-898. (m) *in nova edit. N. T. graeci* Lipsiae & Görlichii 1744. 8. in qua libros in sectiones suas divisit, interpunctiones accurate posuit, & dispositionem logicam adiecit, ut ex inscriptione ipsa patet.

Secunda continet narrationem Apostoli de rebus suis, quae resumitur c. 2, 17 - 30. a v. 11 - 16.

Tertia tradit adhortationem ad varias virtutes, concordiam, constantiam, humilitatem v. 27. c. 2, 30.

Quarta monet apostolus, ut sibi a Iudaeis pseudapostolis & vanae gloriae cupidis, caveant c. 3, 1 - c. 4, 1.

Quinta continet miscella varia c. 4, 2 - 24.

B. PRITIVS introductioni suae pag. 336. s. *indicem vetustiorem* inseruit capita scripturae N. T. ut se olim habuerunt, exhibentem, ubi de nostra epistola haec reperies:

Της προς Φιλιππησιους

α. Ευχαριςια ὑπερ της Φιλιππησιων αρετῆς, και ευχη τελειωσεως.

β. Διηγησις της ἑαυτȣ διαγωγης, αγωνιςικης, και της προθυμιας.

γ. Παραινεσις της κατα θεον ὁμονοιας, και της εν θεω ζωῆς.

δ. Περι Τιμωθεȣ και Επαφροδιτȣ, ȣς απεςειλε προς αυτης.

ε. Περι τȣ πνευματικȣ βιȣ τȣ μη εν σαρκι, ὁς εςι μιμησις τȣ θανατȣ τȣ χριςȣ.

ς. Παραινεσεις ιδιαι τινων, και κοιναι παντων.

ζ. Αποδοχη της αποςαλεισης αυτω διακονιας.

Secundum nostram vero partitionem vulgarem, quae Hieronymo de S. Caro adscribitur, in quatuor capita dividitur. Brevitatis autem ratio habenda est, quare specialiorem partitionem capitum huius epistolae non aggredior.

§. 3. De *distinctione* in κεφαλεια modo dixi. Sequitur ut de ςιχοις aliquid addatur. In recensione SIMONII, quam ex veteri catalogo MSC. in bibliotheca regia & benedictinorum S. Germani epistolae huius nulla sit mentio. Sed supra iam observatum est, id factum ob totidem versus cum sequente ad Colossenses, quae 251. ςοιχους in hoc catalogo numerat. Manuscriptum bibliothecae Caesareae Viennensis in fine epistolae huius post subscriptionem: προς Φιλιππησιους εγραφη απο Ρωμης δι' επαφροδιτȣ, addit: ςιχων σή h. e. 208. (n). Et huius ςιχομετριας autor EVTHALIVS diaconus est

Distinctio in ςιχȣς.

(n) vide N. T. *graecum* GERHARDI A MASTRICHT & MILLII.

est (o). Secundum hodiernam vero in versus distinctionem, cuius autor Robertus Stephanus est, epistola nostra saltem 104. commata, numerat. Illum vero a vera interpunctione saepissime aberrasse, eruditissimi viri queruntur (p).

In ἀναγνώσματα.

§. 4. Sed silentio non praetereundum est EVTHALIVM notasse in epistola ad Philippenses 2 ἀναγνώσματα (q).

De minoribus distinctionibus *commatum*, *colorum* & *punctorum* etiam differere, nimis prolixum foret. Iam dixi clar. SCHÖTGENIVM novam interpunctionem tentasse. Vide eius N. T.

Analysis epistolae.

§. 5. Nihil iam superest, quam ut brevem totius epistolae analysin addam, quae ex mente Ven. D. BAVMGARTEN haec est:

I. Inscriptio cap. 1, 1. 2.

II. Tractatio ipsa c. 1, 3 - cap. 4, 20. quorsum tria pertinent.

A. Relatio Pauli de statu suo c. 1, 3 - 26. quae duplex

א. Philippensibus tenerrimum affectum suum testatur v. 3 - 11.

ב. tam externum quam internum statum suum indicat v. 12-26.

B. adhortatitio Philippensium cap. 1, 27 - c. 4, 9. quorsum

א. Generalis, ad constantiam in genere c. 1, 27 - 30.

ב. Specialis, ad singula officia c. 2, 1. - cap. 4, 9.

1) ad concordiam & humilitatem c. 2, 1 - 11.

2) ad certamen fidei coniunctis viribus instituendum v. 12-18.

3) ut Timotheum & Epaphroditum ut par est, recipiant v. 19 - 30.

4) ut imitarentur Pauli erga Christum animum, caveantque contrarium. cap. 3.

5) ad officia varia huc pertinentia cap. 4, 1 - 9.


C. Gratiarum actio pro subsidiis missis c. 4, 10 - 20.

III. Conclusio v. 21 - 23.

Conf.

(o) conf. PRITIVS l. c. pag. 331. 332. RVMPAEVS l. c. pag. 138. 139. (p) vide PRITIVM pag. 351 - 355. RVMPAEVM pag. 150 - 160. & b. RAMBACHIVM in *instit. herm. sacrae* pag. 228. (q) RVMPAEVS l. c. pag. 137.

Conf. HEIDEGGERUS l. c. Ven. BENGELII *gnomon* pag. 793. STARCKIUS l. c. pag. 155. 156. Sal. van TIL l. c. pag. 258. 259. Ven. SALTHENII *introductio in libros V. & N. T.* pag. 79. & cel. ELSNERI comment. in hanc. epist. pag. 129-132.



SECTIO XIII.

DE LOCIS HUIUS EPISTOLAE DIFFICILIBUS.

Ut lectio epistolae procedat eo facilius, remotis omnibus impedimentis, de locis intellectu difficilibus paucis disputare mens est. Brevis autem ero in illis explicandis, & verum sensum tribus saltem verbis indicabo. Uberior disquisitio, & diversarum sententiarum recensio, alibi, & inprimis apud Wolfium l. c. quaerenda est. Ad loca igitur quae aliquid difficultatis habere videntur, pertinent sequentia. Tractationis utilitas & conditio.

I. Cap 1, 18. τι γαρ; πλην παντι τροπω, ειτε προφασει ειτε αληθεια, χριςος καταγγελλεται. h. e. Sed quid refert? nihilosecius Christus omni modo annunciatur, sive specie & simulatione (Matth. 23, 14. Ioh. 15, 22. 2 Thes. 2, 5. ab hominibus Christum tegumento vitiorum & malitiae suae usurpantibus) sive sincere & legitime; Christus tamen omnibus innotescit. Cap. 1, 18.

II. ib. v. 21. εμοι γαρ το ζην χριςος και το αποθανειν κερδος. Propositio prima: εμοι το ζην χριςος h. e. Christus scopus est omnis vitae meae, quem vita mea & magis assequi, & glorificare studeo (r). Altera: και το αποθανειν κερδος, propterea mori lucrum mihi est i. e. moriens nullum damnum facio, quin potius aliquid lucror, arctius enim cum Christo coniungor. v. 21.

III. v. 22.

(r) conf. c. 3, 7. 8. seq. Gal. 2, 20.

v. 22. III. v. 22. ει δε το ζην εν σαρκι μοι καρπος τȣ εργου. Και τι αιρησομαι, ου γνωριζω. Cum vero vivere in carne (h. e. vita naturalis, & quidem ut iam est, molesta admodum) in emolumentum (h. e. salutarem & prosperam administrationem) muneris (mei apostolici) (s) aliquid conferat, eoque pertineat; ideo quid eligam nescio (ex duobus, si mihi obtingat potestas eligendi.)

Cap. II, 6. IV. Cap. 2, 6. ὁς εν μορφη θεȣ ὑπαρχων ȣχ ἁρπαγμον ἡγησατο το ειναι ἰσα (i. e. κατ' ισα μερη) θεω Qui Christus Iesus, licet omnes divinas perfectiones possideat, & nonnunquam illas etiam manifestaverit, tamen illud esse aequaliter Deo, non iactavit, non more triumphantium spolia hostibus erepta pompose ostentantium, magna ambitione in hunc orbem processit.

v. 11. V. ib. v. 11. και πασα γλωσσα εξομολογησεται: ut omnis lingua confiteatur (i. e. internam magnam de illo opinionem profiteatur). Hoc proprie entium ratione praeditorum est, cuiusvis ordinis, linguae, rationis, aetatis, improprie autem & obiective, de omnibus irrationalibus & inaminatis dici potest, quatenus ex illis Deus cognoscitur, & stimuli ad illum colendum inde sumuntur.

Cap. III, 11. VI. Cap. 3, 11. ειπως καταντησω εις την εξαναστησιν των νεκρων. Ειπως modestiam Pauli & desiderium huius rei, magno periculo obnoxiae, significat (t). Εξαναστησις νεκρων proxime resurrectionem mortuorum futuram indicat, cum qua aeterna & ineffabilis piorum felicitas incipit (u); remotius resurrectionem spiritualem (v). Vtraque hic intelligenda, praecipue prima. Καταντησω i. e. rem diu & valde desideratam consequi, obviam illi venire votis anhelantibus & antecedente perceptione.

VII. Cap. 4, 3. ὡν τα ονοματα εν βιβλιω ζωης. Liber vitae est notitia, memoria, decretum Dei, circa gratiosam acceptationem & susceptationem in catalogum filiorum aut civium, aut

(s) 1 Tim. 3, 1. 2 Tim. 3, 17. 4. 5. (t) vide Actor. 27, 12. Rom. 1, 10. 9, 14. (u) Ioh. 5, 25. 28 seq. 6, 54. 58. Act. 24, 15. 2 Tim. 1, 18. 1 Cor. 15, 42. (v) Ephes. 2, 5. 5, 14. Colos. 2, 13. 3. 1.

aut familiae societatem: quemadmodum scil. qui hoc in mundo per litteras atque instrumenta scripturarum in numerum filiorum adoptatur, ius omne adscribitur, ius civitatis omniumque privilegiorum civilium, adipiscitur: qui in familiam adsciscitur, iuribus familiae fruitur &c. Sunt verba SEB. SCHMIDII in disp. *de phrasi scripturae deletionis e libro vitae* Argentorati 1688. pag. 22. 23.

VIII. Cap. 4, 7. Και ἡ εἰρηνη τȣ Θεου ἡ ὑπερεχουσα παντα νȣν, Cap. IV. 7.
φρȣρησει τας καρδιας ὑμων, και τα νοηματα ὑμων εν χριςῳ Ιησȣ. h. e. pax Dei (complexus omnis felicitatis c. 1, 2. Ioh. 20, 19. 26.) a Deo profecta, quam intellectus noster cancellis circumscriptus, comprehendere & lingua describere nequit, custodiet, tanquam praesidium, animum s. voluntatem vestram, eiusque in Deum inclinationem, in coniunctione cum Christo, per vim eius, & ope repraesentationis bonorum in communione eius assequendorum 1 Petri 1, 5. 2 Cor. 1, 27.

IX. Cap. 4, 15. iam supra explicavi Sect. 3. v. 15.



SECTIO XIV.

DE COMMENTATORIBVS.

In hanc epistolam praeter interpretes librorum N. T. & epistolarum Pauli omnium, commentati sunt. Interpretes Lutherani.

I. EX NOSTRATIBVS.

1) CHR. ALTHOFERVS in animadversionibus sacris in epist. ad Philippenses. Nor. 1647. 4.

2) BARTHOL. BATTI comment. in epist. ad Ephes. Philippenses & Colossenses XVII disp. Gryphisw. 1627. 4.

3) IOACH. IVST. BREITHAVPT in animadv. exegeticis & dogmat. pract. in epist. ad Philip. Halae 1703. 4.

4) IOANNES BVGENHAGIVS in annot. in 8. Argentorati 1524. Basil. 1525. 1527.
5) GE. CALIXTI expositio litteralis. Brunsuigae 1654. 4.
6) IO. ANDR. GLEICHENS Erklärung in 35 Predigten. Dresdae 1715. 4.
7) NIC. HEMMINGII comment. Witteb. 1564. 4.
8) CHRISTOPH HOFMANNI comment. in epist. ad Philippenses. Basil. 1541. 8.
9) IO. CONR. KESLERI observat. philol. in quaedam loca epist. ad Philip.
10) IO. KINTHISII collectanea in epist. Pauli ad Philip. Francof. 1544.
11) DAN. LAGVS in epist. ad Philippenses.
12) CHRIST. MEHLFÜRERI comment. in epist. ad Ephes. Philip. & Colos. Norib. 1628. 4.
13) IO. QVISTORPII comment. analytic. Rost. 1636. 4.
14) MICH. REGERVS in epist. ad Galatas & Philip. Lubec 1669. 4.
15) BALTH. SCHEIDII septenarius disp. in epist. ad Phil. Argent. 1688. 4.
16) SEB. SCHMID. Luneb. 1668.
17) IO. CHRIST. SCHOMERI exegesis in epist. Paulinas, editore IO. FECHTIO. Rost. 1700. 4.
18) BALTHASAR STOLBERGII praelectiones.
19) IO. TARNOVII comm. in epist. ad Ephes. Philip. Col. & Thessal. Lipsiae 1636. 4.
20) PETRI IOAN. WANDALINI Paraphrasis, Danice Slewici 1650. 8.
21) GEORG. WEINRICHII explicatio epist. ad Philip. Lips. 1615. 4.
22) HIERON. WELLERI Enarratio in epist. ad Philip. Norib. 1551.
23) IO. WIGANDI annott. in epist. ad Philipp.
24) GEORGII ZEAEMANNI commentarius.

Reformati. II. REFORMATI.

1) IO. CALVINVS in omnes epistolas Pauli. Genev. 1551. fol.
2) THOMAS CARTWRIGHT comment. in epist. ad Philipp.
3) IO. CROCIVS in comment. in epistolas Pauli minores 2 vol. in fol. Marpurgi 1663. Casellis 1681.

4) IO.

4) IO. DALLAEI sermons sur l'epitre aux Philippiens en 2 tom. 1644 & 1647.
5) D. IAC. ELSNERI Brief an die Philipper erklärt. Berlin 1741. 4.
6) ROB. FERGVSSON in epist. ad Philip. 1658. 8.
7) FRANCISCI GOMARI analysis & explicatio.
8) DAN. GERDESII observat. in loca quaedam epistolae ad Philip. in miscell. Gröning. III. P. 2. n. 6.
9) PETRI VAN DER HAGEN conciones in epistolam ad Philippenses, Belgice in 4. Amstelodami 1673. Erklärung über den Sendbrief an die Philipper. Franckf. 1710. 4.
10) SERVATII HAZEVÖET over de Brieven aan de Gemeenten te Efezen en Filippi, Leiden 1715. 4.
11) IO. MARTINI analysis epistolarum Pauli ad Philippenses &c. 2 vol. in 8. Groningae 1658. 1663.
12) WOLFGANG MVSCVLI comm. ad Philip. Colos. Thess. Tim. Basil. 1578. 1598. fol.
13) CASP. OLEVIANI notae in epist. ad Philip. Genev. 1580. 8.
14) IAC. PIERCII paraphrase aud notes on the epistle of St. Paul to the Philippians.
15) MENARD. HENR. SCHOTANI analysis & comment. in epist. ad Philippenses. Francf. 1644. 4.
16) SAL. VAN TIL comment. in 4. Pauli epist. ad Corinth. Ephes. Philip. & Colos. editore Dan. Bedber. Amstel. 1726. 4.
17) HIERONYMI ZANCHII comment. in ep. ad Philipp. Col. & Thes. 1595.
18) HVLRICI ZWINGLII annotationes.

III. PONTIFICII Pontificii.

1) GVILLELMVS ROTHVEL Postillae.
2) IO. HOFMEISTERVS in Enarrat. in epist. ad Philip. 8. Friburgi Brisgoae 1545.
3) AVGVSTINVS DE QVIROS.
4) LANCELOTTVS RIDLEY comment. in epistol. Pauli ad Ephesios, Philippenses & Colossenses.
5) PETRI STEVARTII comm. in epist. ad Phil. Colon. 1595. 4.

6) IO. ANDR. VELASQUEZ com
Lugd. 1636. fol.

Vide Ven. D. BAVMGARTEN th
& 74. cl. MICH. LILIENTHALS
1745. pag. 615. C. STARCKII a
exeg. in N. T. I. H. HEIDEGG
herm. ſacrae pag. 702. & IACO
2dum. Pariſiis 1723. fol. pag
qui ſingulos verſus explicarun

M. WILDESHAVSEN biblioth
LIGII bibliothecam



E R

Pag. 9. lin. 2. lege illuſtrat
Pag. 14. lin. 20. principiu
P. 21. l. 7. ſit, diſquirit
theol. loco philol. P. 34

F I



QUEZ comment. & annot. in epist. ad Philip.

ARTEN theologische Bücher-Kentnis pag. 70
ENTHALS biblischen archivarium, Königsberg
TARCKII appendicem ad tom. 3. synops. bibl.
HEIDEGGERVM l. c. pag. 905. RAMBACHII instit.
2. & IACOBI LE LONG bibliothecam sacram tom.
fol. pag. 1149. Qui autem illos scire cupit,
explicarunt, adeat laudatum LILIENTHAL l. c.
N bibliothecam disput. p. m. 94. & SCHETE-
othecam disp. parte 3. pag. 123 133.



ERRATA.

e illustratum. Pag. 10. lin. 26. lege Philippos.
principium. P. 16. lin. 4. observ. Spanhemium.
disquirit. P. 28. l. 13. Amolitur. P. 29. l. 28.
lol. P. 34. l. 5. Philippos.

FINIS.

